DE PRAEPOSITIONUM ET PRONOMINUM USU QUI EST IN TITULIS AFRICANIS LATINIS (C. I. L. VOL. VIII)

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS IN UNIVERSITATE FRIDERICA GUILELMA SILESIACA AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS UNA CUM THESIBUS DIE I MENSIS FEBRUARII ANNI MCMXIII HORA XI ET DIMIDIA IN AULA MUSICA PUBLICE DEFENDET AUCTOR

LOTHARIUS FRIESE
SILESIUS

ADVERSARII ERUNT
B. JAEKEL CAND. PHIL.
E. PIESKE CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE
MCMXIII

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulit
Franciscus Skutsch.

Examen rigorosum habitum est die 24 mensis Iulii anni MCMXII.

FRANCISCI SKUTSCH MANIBUS

SACRUM.

Argumentum.

Index librorum adhibitorum.

C. I. L. VIII = Corpus inscriptionum Latinarum volumen VIII: inscriptiones Africae latinae collegit Gustavus Wilmanns. Supplementa ediderunt Renatus Cagnat, Johannes Schmidt, Hermannus Dessau. Berolini, a. 1881, 1894, 1904.

Audollent, D. T. = Defixionum Tabellae coll. dig. comm. instr. Aug. Audollent, Paris 1904; p. 287—416 (prov. Africa).

Buech. = Carmina latina epigraphica conlegit Franciscus Buecheler, Leipzig, vol. I 1895, vol. II 1897.

Cagnat, A. E. = Cagnat, L'année épigraphique, 1904—1911.

Dessau = Hermann Dessau, Inscriptiones Latinae selectae; Berolini, vol. I et II, 1 1902, vol. II, 2 1906.

Diehl, Chr. I. = Lateinische christliche Inschriften mit einem Anhang jüdischer Inschriften, ausgewählt und erklärt von Ernst Diehl, Bonn 1908 (H. Lietzmanns kleine Texte, 26—28).

Diehl, V. I. = Vulgärlateinische Inschriften, herausgegeben von Ernst Diehl, Bonn 1910 (H. Lietzmanns kleine Texte, 62).

F. I.[7] = Fontes Iuris Romani Antiqui ed. C. G. Bruns - O. Gradenwitz (pars prior: Leges et Negotia), Tubg. 1909.

Merlin et Poinssot = A. Merlin et L. Poinssot, Les inscriptions d'Uchi-Majàs d'après les recherches du capitaine Gondouin, Paris 1908: Notes et documents pp. la Direction des antiquités et arts.

Monceaux, R. A. = M. Paul Monceaux, Enquête sur l'épigraphie chrétienne d'Afrique, Rev. arch. 1903, 1904, 1906.

Schulten = Adolf Schulten, Die lex Manciana. Abhandlungen der Göttingischen Gesellschaft der Wissenschaften, phil.-histor. Klasse, n. F. II, 2, 3 1897.

Seeck = Otto Seeck, Die lex Manciana. Neue Jahrbücher für Philologie und Pädagogik, herausgegeben von Ilberg und † Richter, I. Abteilung (1. Bd.), p. 628—634.

A. L. L. = Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik, ed. E. Wölfflin, vol. I—XV.

Anglade = Jos. Anglade, De latinitate libelli, qui inscriptus est Peregrinatio ad loca sancta, thesis Parisiis 1905.

Appel, E. = De genere neutro intereunte in lingua latina scripsit Ernestus Appel, Münch. Diss., Erlangen 1883.

Bednara = E. Bednara, De sermone dactylicorum Latinorum quaestiones, A. L. L. vol. XIV., 317—360 et 532—604.

Birt = Theodor Birt, Der Hiat bei Plautus und die lateinische Aspiration bis zum X. Jahrhundert n. Chr., Marburg 1901.

Bonnet = M. Bonnet, Le latin de Grégoire de Tours, Paris 1896.

Brenous = J. Brenous, Études sur les hellénismes dans la syntaxe latine, Paris 1895.

Carnoy = A. Carnoy, 'Le latin d'Espagne d'après les inscriptions', in 'Le Muséon' n.^{lle} série, vol. II—VI 1901—1905; Louvain. Imprimis afferam vol. VI (1905) p. 324—355: Compléments sur la morphologie, le vocabulaire et la syntaxe.

Diehl = E. Diehl, De m finali epigraphica; Jb. f. kl. Ph., S.-Bd. XXV (1899), p. 1—327.

Diez^3 = Friedrich Diez, Grammatik der romanischen Sprachen, Bonn, 3. Aufl., I. Teil 1870, II. Teil 1871, III. Teil 1872.

Draeger^2 = A. Draeger, Historische Syntax der lateinischen Sprache, 2. Aufl., I Leipzig 1878, II Leipzig 1881.

Foerster = Richard Foerster, Kasusangleichung des Relativpromonens im Lateinischen; Jb. f. kl. Ph., S.-Bd. XXVII (1902), p. 170—194.

Friebel = Otto Friebel, Fulgentius, der Mythograph und Bischof, Paderborn 1911.

Gaffiot = Felix Gaffiot, Pour le vrai latin, Paris 1909.

Glotta = Glotta, Zeitschrift für griechische und lateinische Sprache, herausgegeben von Paul Kretschmer und Franz Skutsch, Göttingen 1909 sqq., Bd. I–IV.

Goelzer = Henri Goelzer, Étude lexicogr. et grammaticale de la latinité de St. Jérôme, Paris 1887.

Hache = Fritz Hache, Quaestiones archaicae, diss. Vratisl. 1907.

Havers = Untersuchungen zur Kasussyntax der indogermanischen Sprachen. Von Dr. Wilhelm Havers, Straßburg 1911.

Hoffmann, E. = Ernst Hoffmann, De titulis Africae latinis quaestiones phoneticae, diss. Vratisl. 1907.

Hoffmann, M. = Max Hoffmann, Index gramm. ad Afric. provinciar. Tripolit. Byzacenae Proconsularis titulos latinos, diss. Argentorati 1878.

Hoppe = Heinrich Hoppe, Syntax und Stil des Tertullian, Leipzig 1903.

Körting^3 = Gustav Körting, Lateinisch-romanisches Wörterbuch, Paderborn, 3. Ausgabe, 1907.

Konjetzny = Wilh. Konjetzny, De idiotismis syntacticis in titulis latinis urbanis (C. I. L. VI) conspicuis, A. L. L. vol. XV, 297—351.

Kroll = W. Kroll, Das afrikanische Latein, rheinisches Museum 52 (1897), 569—590.

Kuebler = Kuebler, Die lateinische Sprache auf afrikanischen Inschriften, A. L. L. vol. VIII, 161 sqq.

Kühner^2 = Ausführliche Grammatik der lateinischen Sprache von Raphael Kühner; Bd. I, 2. Aufl.: Elementar-, Formen- und Wortlehre, neu bearbeitet von Friedrich Holzweissig, Hannover 1912; Bd. II: Satzlehre, 2. Aufl. in 2 Teilen, neu bearbeitet von Carl Stegmann, 1. Teil, Hannover 1912.

Leo, Pl. F.^{2} = Friedrich Leo, Plautinische Forschungen, 2. Aufl., Berlin 1912.

Lindsay = W. M. Lindsay, Die lateinische Sprache, übersetzt von Hans Nohl, Leipzig 1897.

Loefstedt, B. = Einar Loefstedt, Beiträge zur späteren Latinität, Upsala Diss., Stockholm 1907.

Loefstedt, S. S. = E. Loefstedt, Spätlateinische Studien, Upsala und Leipzig 1908.

Loefstedt, V. B. = E. Loefstedt, Vermischte Beiträge zur lateinischen Sprachkunde I (Eranos VIII, Upsala 1908).

Loefstedt, K. P. Ae. = Philologischer Kommentar zur Peregrinatio Aetheriae. Untersuchungen zur Geschichte der lateinischen Sprache von Einar Loefstedt, Upsala 1911.

Martin = Notes on the Syntax of the Latin Inscriptions found in Spain by Henry Martin; Diss., Baltimore 1909.

Mau = A. Mau, Metrisches aus Pompeji; Mitteilungen des kais. deutschen archäol. Instituts, römische Abteilung, Bd XXIII (1908), p. 263—267.

Meader (1901) = The latin pronouns *is, hic, iste, ipse,* a semasiological study by Clarence Lintow Meader, New York 1901.

Meader (1910) = The usage of *idem, ipse* and words of related meaning by Cl. L. Meader, New York 1910.

Meyer, W. = Wilhelm Meyer, Die Schicksale des lateinischen Neutrums im Romanischen, Züricher Diss., Halle 1883.

Meyer-Lübke = W. Meyer-Lübke, Grammatik der romanischen Sprachen, Leipzig, Bd. I 1890, Bd. II 1894, Bd. III 1899.

Momms., R. St. = Römisches Staatsrecht von Th. Mommsen, 3 Bde. in 5 Abteilungen, 1. u. 2. Bd. 3 Aufl. Leipzig 1887, 3. Bd. Leipzig 1887.

Neue-Wagener = Neue-Wagener, Formenlehre der lateinischen Sprache, Bd. I—IV, 3. Aufl., Leipzig 1892—1895.

Norden = Eduard Norden, Die antike Kunstprosa vom 4. Jahrh. v. Chr. G. bis in die Zeit der Renaissance, 2. Abdruck, 2 Bde., Leipzig 1909.

Pennigsdorf = Martinus Pennigsdorf, De *quisque* et *quisquis* pronominum apud comicos latinos usu commentatio. Diss. Hall., Halle 1878.

Pirson = Jules Pirson, La langue des inscriptions latines de la Gaule; biblioth. de la faculté de philos. et lettres de l'université de Liège, fasc. XI, Bruxelles 1901.

Planta = R. v. Planta, Grammatik der oskisch-umbrischen Dialekte, I. Bd. Straßburg 1893, II. Bd. Straßburg 1897.

Pradel = De praepositionum in prisca latinitate vi atque usu scripsit Frieder. Pradel, Jb. f. kl. Ph., S.-Bd. XXVI (1901), p. 465—576.

Prehn = Alwin Prehn, Quaestiones Plautinae de pronominibus indefinitis; Progr. d. Lyc. zu Straßburg i. E., 1887.

Proskauer = Carola Proskauer, Das auslautende *s* in den lateinischen Inschriften, Straßburg 1910.

Riemann² = O. Riemann, Études sur la langue et la grammaire de Tite-Live, 2ième édition, Paris 1884 (Biblioth. des écoles françaises d'Athènes et de Rome; fasc. onzième).

Roensch = H. Roensch, Itala und Vulgata, 2. Aufl., Marburg 1875.

Scheifler = Herbertus Scheifler, Quaestiones Commodianae, diss. Vratisl 1908.

Schmalz[4] = J. H. Schmalz, Syntax und Stilistik (latein. Grammatik), 4. Aufl., München 1910. (Iw. v. Müllers Handbuch der klassischen A.-W. II, 2, p. 303—686.)

Schuchardt = Hugo Schuchardt, Der Vokalismus des Vulgärlateins, Leipzig 1866–1868.

Seelmann = Die Aussprache des Latein, von Emil Seelmann, Heilbronn 1885.

Seidel = Henricus Augustus Seidel, Observationum epigraphicarum capita duo, diss. Vratisl. 1880.

Skutsch = Franz Skutsch, Zur Wortzusammensetzung im Lateinischen. Jb. f. kl. Ph., S.-Bd. XXVII (1902), p. 82—110.

Skutsch, F. z. l. Gr. u. M. = Franz Skutsch, Forschungen zur lateinischen Grammatik und Metrik, vol. I, Leipzig 1892.

Thieling = Der Hellenismus in Kleinafrika, von Walter Thieling, Leipzig u. Berlin 1911.

Wackernagel, Id. F. = Jakob Wackernagel, Über ein Gesetz der indogermanischen Wortstellung. Indogermanische Forschungen, Bd. I (1891), p. 333—436.

Ziegel = De *is* et *hic* pronominibus quatenus confusa sint apud antiquos scripsit Hans Ziegel, diss. Marburg 1897.

Ziemer[2] = Hermann Ziemer, Junggrammatische Streifzüge im Gebiete der Syntax, 2. Aufl., Kolberg 1883.

Zink = Michael Zink, Der Mytholog Fulgentius, Diss. v. Würzburg 1867.

Antibarbarus = Antibarbarus der lateinischen Sprache, von J. H. Krebs, 7. Aufl. von J. H. Schmalz, 1. Bd. 1905, 2. Bd. 1907.

Forcellini-De-Vit = Forcellini-De-Vit, Totius latinitatis Lexicon, 1858—1875, VI Bde.

Georges[7] = Georges, Handwörterbuch der lateinischen Sprache, 7. Aufl. (1879—1880).

Th. l. l. = Thesaurus linguae latinae, vol. I—V (a-decus), Leipzig 1904—1910.

Alii libri in contextu afferentur.

Tituli nullo apposito voluminis signo allati omnes ad C. I. L. vol. VIII spectant.

p = tituli publici
s = tituli sacri
m = tituli militares
v = tituli vulgares
† = tituli christiani
c = carmina.

I. De praepositionibus.

1. De constructione praepositionum[1]).

Ut in aliis titulis Latinis ita in Africanis quoque inscriptionibus magnus numerus exemplorum invenitur, ubi praepositiones cum casibus inusitatis et numeri singularis et numeri pluralis coniunctae sunt.

A. § 1. Casuum exitus sine certa lege inter se permutantur.

1. Numerus singularis.

a) De permutatione casuum in *-m* et in vocales *-a, e, o, u* exeuntium.

M finalem in titulis et prioris[2]) et posterioris aetatis non minus ante consonantes quam ante vocales saepe excidisse[3]) inter omnes constat.

Quo factum est, ut cum usus *m* finalis incertus factus esset casus in vocales et in *m* exeuntes inter se mutarentur.

Qua de re quamquam Diehl in dissertatione egit, exempla, quae in titulis Africanis casus inusitatos e praepositionibus pendentes praebent, denuo consideravi, atque ita ut ponerem primo loco exempla, ubi littera *m* ante vocales et *h* omissa est, altero loco exempla, ubi littera *m* ante consonantes addita est, tertio loco exempla, ubi littera *m* ante consonantes omissa est, quarto loco exempla, ubi littera *m* ante vocales addita est.

Magno e titulorum numero hos elegi e quibus nonnulli apud Diehlium inveniuntur:

---

[1]) cf. Diehl, p. 12—107; Proskauer, p. 142—145.

[2]) cf. ex. gr. Bucch., C. E. 6 (a. fere 235 a. Chr.) *duonoro optumo fuise viro* (v. 2), *hec. cepit Corsica Aleriaque urbe* (v. 5).

[3]) cf. Lindsay, p. 78 et 141.

Cum littera *m* in fine verborum posita ante verba cum vocalibus incipientia non pronuntiaretur nisi parva voce[1]), invenitur:

α) vocalis ante vocalem et *h*.

Lex Manciana II, 13/14 (a. 116—117) *extra pom(a)rio erunt*

98[s] = 7094 = Dessau 2933 *quas in honore*[2]) *aedilitatis et III viratus posuit.*

4483, 10[v] (inter saec. III.) *per Iul(io) Floro imune*

5230[m] = 17402, 2 sqq. = Diehl, V. I. 1366 *iacens supra ripa Hippone Rec(io) (= regio) ara . . .*

Contra habes:

β) *-m* ante consonantem[3]).

8007, 3 sqq.[v] *cum Albinum Felicionem coniugem vixit*

14864[v] *cum Martide uxore et Felicem fili(o) et Fortunat(a) matre*

20780, 6[v] (a. 318) *mesam cum titulum refrigerationis.*

9381, 2[m] = Diehl, V. I. 1266 *ex Germania superiorem tribunus*

1106, 1 sqq.[†] *in hoc signum semper vinces.*

Idem in tll. 1767, 5346 = 17579

9381, 6[m] = Diehl, V. I. 1266 *in Tingitana provinciam qui vixit*

2557, 1 sq.[p] (a. 203) *pro felicitate et incolumitatem saeculi*

14683, 9 sqq.[v] = Diehl, V. I. 1567 (a. 185) *pro patre et matre pro socrum (pr)o socra(m d.) d. (= dare debebit)*

19525[v] *ut facias ilum sine sensum sine memoria sine ritu sine medula sit vi mutuscus.*

2728, 78[p] (med. saec. II) *sine curam Noni non potest . . .*

Sed paulatim eae formae, quae ante vocales usitatae erant, sine quadam differentia ante consonantes quoque

[1]) cf. Seelmann, p. 356 sqq.

[2]) cf. Loefstedt, K. P. Ae., ad 8, 2 (p. 182): *„Auch abgesehen von dem allbekannten Wechsel zwischen Akk. und Abl. bei ‚in' im Spätlatein ist die Verbindung ‚in honore alicuius' bemerkenswert, da sie bei den verschiedensten Schriftstellern sowie in Inschriften dieser Zeit vorkommt und, wie es scheint, eine gewisse Festigkeit erhalten hat."*

[3]) cf. Seelmann, ibid.

positae sunt, et contra casus in *-m* exeuntes ante vocales, itaque habes:

γ) vocalem ante consonantem.

αα) vocalem ante *m* consonantem.

895[s] = 12425, 7 = Dessau 5074 (imp. Gordiano III., a. 239) *in compensatione missiliorum*

1863[p] (imp. Iustiniano, 527—565) *per Solomonem gloriosissimum et excell. magistro militum*

10230, 5[v] (a. 145) *per Ratina Messalinum ...*

ββ) vocalem ante alias consonantes.

4579, 11 sq.[s] (M. Aureli aetatis) *at fori stratura cub(itorum) X*

9292[m] = 20856 *qui at monte Zezel interfectus est.*

5784, 8 *apud Lare suo vita privatus est.*

13977[†] *triumfalica in deu fidelis in pace.*

5290[s] = Dessau 5477 (a. 294—305) *in ista sede privato sumptu transtulit*[1]).

17896[p] = F. I.[7] 103 (a. 361—363) *Officialis missus intra civitate duos modos ... consequatur.*

Lex Manciana I, 5 (inter an. 116 et 117) *intra fundo Villae Mag(n)e*

11217, 6[v] (initio saec. IV.) *per instantia felici C. Aeli*

14428 A, 17[v] (a. 181) *secundum iusso tuo con(tra) ...*

δ) *-m* ante vocalem.

2660, 4[p] (temporibus Diocletiani et Maxim.) *Aquae ductum Titulensem ab originem usque ad civitatem longa vetustate corruptum*

2728, 36[s] (post annum 152) *Rigor autem depalatus erat supra montem ab orientem in occidentem*

2728, 24[s] (p. a. 152) *apparuit fossuras a rigorem errasse.*

14603, 7[v] = Diehl, V. I. 1096 (medii saec. p. Chr. n. I.) *ab hostem in pugna occisus.*

21206[v] *cum matrem et avia* (finis).

---

1) Norden, Bd. II, p. 609, ad permutationem praepositionum Graecarum *ἐν* et *εἰς* inde a saeculo II. p. Chr. n. usitatam animum advertit.

12421, 6 sq.[p] = Dessau 5071 *ut ex eius summae reditum id est usurae LX . . . insumerentur*

9709, 4 sq.[†] (a. 475) *qui fecit*[1]) *in sacerdotium annos VIII men(ses) XI*

21337 b, 5 sqq.[v] *hic fuit in saeculum Ulp. Victor pater eius hunc titulum posuit*[2]).

4322[s] (aet. Septimii Sev., a. 192—211) *pro salutem imp. . . .*

(Idem in tl. 12094, 12286, 12457 multis aliis.)

Omnino in titulis, ubi casus in vocales et in *-m* exeuntes et e praepositionibus pendentes inter se mutati sunt, inveni:

vocalem ante vocalem	7[ies]
-m ante consonantem	15[ies]
vocalem ante consonantem . . .	35[ies]
-m ante vocalem	12[ies]

Ex his exemplis elucet legem certam de usu *m* finalis ante consonantes et vocalium ante vocales constitui non posse; nam multa exempla reperiuntur, ubi illam legem coniectura verisimilem neque vero certam esse dicas atque eo tempore, quo inscriptiones nostrae oriundae sint, veram rationem iam confusam esse permutatis utriusque generis exemplis[3]).

b) De vocabulis neutrius generis III. decl.

19929[v] = Diehl, V. I. 38. *mesoleum cum tribunal et aralibus perfecit.*

Cum hoc exemplum sermone soluto conscriptum docere videatur vocalem *i* elisione ante vocalem sequentem decidisse, in sequenti pentametro coniciendum est nominativum gen. neutr. III. decl. immutabilem factum esse:

7759[c] = Buech. 1327, 2 *Ut paucis discas cum genus exitium.*

---

1) facere = zubringen, leben; cf. Sen. ep. 66, 4: *Quamvis paucissimos una fecerimus dies;* Ulp. dig. 40, 7, 14: *Is servus fugerat et annum in fuga fecerat* (Forcellini-De-Vit, vol. III sub verbo *facere*, 23).

2) sed cf. 21337 a, 4 sqq : *hic fuit in saeculo Ulp. Victor pater eiu(s) hunc tumulu(m) posuit.*

3) *Hanc* accusativum cum ablativo *memoria* in hac inscriptione coniunctum videmus:

20920† *in nomine Cristi requiescit in pace in hanc memoria.*

2. Numerus pluralis[1]).

Casus numeri plur. simili modo ac num. singularis sine certa regula in latinitate posterioris aevi inter se permutatos esse his titulis probatur:

a) De permutatione accus. in *-as, -os* et ablat. in *-is* exeuntium.

3933[v] *cum filios tuos tres vix. ...*

9016, 5[s] (a. 235) *cum Liburnia Felicia marita et Postumias Victoria (et fili)ab. ...*

9020[s] = Dessau 4456 (a. 320) *cum Iulia Donata coniuge et Clodiis Aprile filio ceterasque filias aram constituit*

10570, III, 25[p] = Dessau 6870 (exemplum epistulae procuratoris, a. 180—183) *quam ex lege Hadriana et ex litteras proc(uratorum) tuor(um) debemus.*

19996[v] *inter*[2]) *amicis certus et fidelis ...*

b) De permutatione acc. in *-es, -us* et abl. in *-ibus* exeuntium.

2841, 6[v] *Claudia Rufa cum libertis et hered(e)s eius*

6970[v] = Diehl, V. I. 1248 *cum Antios Victoricu et Mausolu iuniores*

7957[s] *Sex. Horatius Sex. fil. Q(uirina) Felix sacerdos cum filis Proculu Triumpale Felice sacerdotes templum ... renovavit*

Cagnat, A. E. 1909, 153[s] *ob honoribus*

3455[v] *factu per fratibus*;

huc referas velim:

451[†] = 11650 *sub id(us) A(u)gustas ...*

de formulis, quae usurpantur ad certum diem significandum sententiam Konjetznyi sequens, qui de similibus exemplis C. I. L. VI. egit[3]), illum accusativum immobilem factum esse contendo[4]).

---

1) cf. Proskauer, p. 142—145.

2) Mommsen: *fortasse 'inter(ioribus amicis)'*; sed cf. *inter* c. abl. infra p. 32 et *inter sanctis* (C. I. L. XII, 471), alia exempla apud Diehlium, p. 84.

3) p. 329/30 § 42 b.

4) In illis formulis praepositionem *sub* saepius casum ablativum quam accusativum regere Diehl (p. 54) probavit.

c) De permutatione nom. vel. acc. in -*a* et abl. in -*is*, -*ibus* exeuntium.

18792, 11[v] = Buech. 1788, 6 = Diehl, V. I. 1247
Inofesus cum ministeria tria[1]) *Fortunata Augendus Augenda*[2])

Lex Manciana III. 17 (a. 116—117) *pro pecora*[3]) (*que i*)*ntra f. ville Magne* . . . (*p*)*ascentur in pecora singula aera quattuor* . . . *praestare debebit*

Additamentum 1 ad c.

In carmine

5370, 3[c] = Buech. 112, 3 = Diehl, V. I. 1086
In prima aetate ex Germana coniuga
Instudiisque misit et honores tribuit

v. d. Buecheler *instudiisque* coniectura *istudiisque* sustulit[4]).

Additamentum 2 ad c.

In Th. L. L. V, 43, 42/43 Gudeman titulum 20915†
De dei promissa . . . (*fe*)*cit in nomine Crist*(*i*)
exemplum constructionis *de c.* acc. falso affert, ut puto; nam ut Dessau ad hanc inscriptionem corruptam annotat, adiciendum est: (*de dei*) *donis,* simili modo atque in titulis 21511† et 21551† *de dei data.*

B. Certae res praepositionum constructionis a grammaticorum regula discrepantis causae sunt.

Postquam praecedentes tituli paulatim lingua latina progrediente casus et numeri sing. et plur. sine lege adhiberi

[1]) Metri vim casus mutati auctorem fuisse (qua de re infra agam § 3 p. 11—12) contendere non audeo.

[2]) De nominativo quasi immobili facto agit Loefstedt, K. P. Ae., ad 1, 2 (p. 50/51).

[3]) Skutsch, praeceptor meus venerabilis, me de *la pecora* substantivo linguae ital. admonuit; cf. praeterea de *pecora* voce E. Appel, p. 71 et de numeris plur. in -*ora* exeuntibus, quomodo in linguas Romanenses transierint, W. Meyer, p. 48 sqq.

[4]) Lindsay, p. 116, 120—122; Loefstedt, K. P. Ae., ad 12, 1 (*hispatii*) (p. 216).

coeptos esse docuerunt, nunc nonnulla verba de iis titulis faciam, ubi ad constructiones notatu dignas voces eiusdem vel finitimae sententiae et constructiones similes aut lex metrica auctores inscriptionum incitavisse videntur.

§ 2. De causis syntacticis.

Mutantur igitur casus ob causas syntacticas, qua in re attractionem, analogiam, contaminationem summam vim habere haec exempla probant[1]):

1. Primum nonnullas inscriptiones afferam, ubi casus attractione formarum finitimorum casuum mutatos esse in promptu est:

217[m] = Dessau 2658 (post bell. Parth. Sept. Sev. imp., a. 197/199) *consecutus est ob virtutem in expeditionem Parthicam coronam,*

ubi scriba neglegentia quadam propter accusativos *virtutem* et *coronam* pro abl. *expeditione Parthica* accusativum scripsisse mihi videtur.

Eodem modo interpretor casum genetivum post praepositionem *ob* in tl. vulgari

9072[v] = Diehl, V. I. 1337 *(o)b mem(o)ria(m) Caeli (Pie)tatis ob memoriae Rutiliae Ianuariae sacerdotis ob memoriam Romani,*

consentiens cum Diehlio[2]).

Exemplum attractionis pronominis relativi[3]) habes fortasse in hoc titulo:

16566, 14 = Buech. 1332, 8 = Diehl, V. I. 1413.

Nunc requiescunt reliquiae
trig(a)ri solo, per quo fui notus[4]).

2. Secundam causam mutati casus attuleram analogiam; cuius rei haec exempla occurrunt:

---

[1]) cf. imprimis Ziemer, Junggrammatische Streifzüge, p. 29 sqq.

[2]) p. 92.

[3]) cf. Foerster, p. 177—187.

[4]) quod exemplum apud Diehlium (p. 96) sine ulla explanatione invenitur.

9374^{v} *adlecto in quinque decuriis,*
quo in tl. verba *ponere, locare, ducere in aliqua re*[1]) similia analogiae fortasse fuerunt.

Per analogiam constructionis *in mentem esse*[2]) orta esse conicio *in mentem habere, in mentem manere* in sequentibus titulis:

Audollent, D. T., n. 270, 8^{v}: ... *sed in mentem habeat me Septimam, Amoenae filiam*;

Cagnat, A. E. Juin, 1894, p. 421^{c} = Buech. 1331, 2 *Ne dolor in mentem cum legimus maneat*[3])

In tl. 3157^{m} = Diehl, V. I. 1269 *Nestor pater contributus ex leg. III Gallicae in legionem III Aug.*

scriba praepositionis *ex* oblitus vocem *contributus* substantivorum modo struxisse videtur[4]).

Notabiliores formulae *obmerito, obmeritis, obmeritus* ut in aliis inscriptionibus ita in Africanis inveniuntur[5]):

3064^{v} *Cansinia Silvana ob merito fecit*

4380^{v} *maritus ob meritis eius*

9048^{v} *fratris et filis amantissimis ob meritis pro pietate fecit*

Idem in tll. 10917^{v} 20717^{v} al.

---

[1]) cf. exempla apud Draegerum, Bd. I, p. 384/85.

[2]) cf. Gellium I, 7 § 16 sqq. (p. 57 Hosius):
mihi in mentem fuit (Plautus, Amph. 180);
cum vestros portus atque eos portus, quibus vitam ac spiritum ducitis, in praedonum fuisse potestatem sciatis (Cic. de imp. Cn. Pomp. [cap. XII § 33]);
... sonus tamen et positura ipsa verborum satis declarat id potius ἐπιμελείᾳ τῶν λέξεων modulamentisque orationis M. Tullii convenisse, ut, quoniam utrumvis dici Latine posset 'potestatem' dicere mallet non 'potestate'.
Roensch, p. 411.

[3]) Hoc loco altera causa accedit, res metrica: *in mentēm cúm* (cf. p. 11/12).

[4]) Georges, sub voce *contribuo* afferens nostrum ex. ad *contributus ex leg. III. Gallicae sc. 'legioni'* addendum esse falso conicit.
Cf. tl. 9058 b = Diehl, V. I. 1268. *M Iul(ius) miles ex cortis singularium,* ubi litterae *-is* pro *-e* fortasse ob eam causam exstant, quod in sermone volgari verborum exitus *-ĭs* et *-e* eodem fere modo enuntiati sunt (cf. Leo, Pl. Fo.², p. 288—309).

[5]) cf. Diehl, p. 88/99.

Ablativo *merito* struem verborum *ob merito* adductam esse in promptu est. Per analogiam singularis *ob merito* pluralis *ob meritis* usurpatus est, qui multo saepius invenitur singulari casu[1]). Denique factum est, ut per 'hypostasin', ut voce illa Useneriana utar[2]), ad iectivum *obmeritus* formaretur:

4078[v] *coniugi rarissimae obmeritae*[3]).

Additamentum ad § 2, 2.

Frequentis usus, quo neutrum plurale cum aliarum vocum tum *omnis* adiectivi comprehendit omnia quae in re sint, ad rem pertineant, exemplum hic versus putandus est:

21031, 9[c] = Buech. 479, 6 = Diehl, V. I. 1395.

Vivere dum liquit, carus meis
et pius vixsi et in omnia sollers[4]).

3. Tertia causa syntactica constructionum mutatarum contaminatio duarum similium constructionum est:

9998[v] = Diehl, V. I. 1472 *hic locus pertinebit at libertos libertabusque posteri(s)que eorum;*

inscriptionis auctorem constructiones *pertinebit at libertos libertasque posterosque* et *dedicatus est libertis libertabusque posterisque* inter se miscuisse conicio[5]).

Praepositionem *per* cum abl. abs. coniunctam videmus in 4203 et 4204[p] (imp. Ant. Pio, a. 160) *Cos. IIII p. p. per leg. III Aug. D. Fonteio Frontiniano . . . dedicante,*

quo in exemplo structuras *per D. Fonteium Frontinianum* et *D. Fonteio Frontiniano dedicante* contaminatas esse conicio.

---

[1]) Ut index C. I. L. VIII ostendit, habes in C. VIII, 1 et 2 formas legitimas numeri pluralis (*ob merita*) vicies, num. sing. (*ob meritum*) semel (in 27).

[2]) cf. Jb. f. kl. Ph. 117 p. 71 et Kl. Schriften von Hermann Usener, Bd. I (1912), p. 250—261.

[3]) cf. Diehl, p. 89.

[4]) cf. Leo, Cul., ad vers. 168; ex. gr. habes:
flagrantis in omnia belli (Lucanus 3, 390),
Caesar in omnia praeceps (ibid. 2, 656).

[5]) cf. Thes. I, 559, 37 sqq.; imprimis Itala cod. Cant. Luc. 2, 52: *proficiebat aetate . . . et gratia ad deum et ad hominibus* (παρὰ θεῷ καὶ ἀνθρώποις).

Additamentum ad § 2.

Priusquam huius paragraphi finem facio, pauca de tribus inscriptionibus dicam, quarum interpretationem in medio relinquo:

de prima 11332p = Dessau 6836 *ob insignem eius clementiam . . . et circa singulos universosqu(e) cives praestantia(m) circa frumentariae rei largam moderationem,*

addam v. d. Mommseni coniecturam: *frumentariam rem* exspectari, fortasse *circa* neglegentia librari additum est ob praecedentia verba *circa singulos universosque cives.*

In eiusdem tituli fine: *ob insignem eius clementiam et circa singulos universosqu(e) cives praestantia innocentia*

auctor propter verba *et circa singulos universosque cives,* quae inter *ob* et casus ex illa praepositione pendentes *praestantia innocentia* intercedunt, praepositionis *ob* oblitus neglegenter ablativis mihi videtur usus esse [1]).

Simili modo in tl. corrupto

9725v = 21531 = Diehl, V. I. 1034 (a. 339) *castr(a)m senec(t)u(t)i usque commodum laboribus suis filis . . . perfecit,*

cui *castram ad senectutem usque commodum laboribus suis filis perfecit* sensus subest, ut Wilmanns arbitretur [2]), neglegentia quadam scribam ad dativum *senectuti* addidisse *usque* opinor, quasi *ad senectutem* scripsisset [3]).

Illis exemplis contrarium locum legis Mancianae esse contendo:

IV, 25 (a. 116—117) *dominis . . . . (q)uodannis in hominibus (singulis in arati)ones operas [4]) n(umero) II et in messes praestare debebunt,*

---

[1]) cf. Diehl, p. 90/91: *de duplici casu ab 'ob' pendenti cogitare non ausim; num ‚praestantia innocentia' meri sunt ablativi auctorque priorem structurae modum deseruit?*

[2]) Dessau contra coniciens *sene cuiusque c(o)mm(o)dum laboribus suis filis . . . perfecit* annotat: *voluitne dicere 'sine cuiusquam incommodo'?*

[3]) De *usque* substantivo postposito cf. Thes. I, 899, 65 sqq.; Bednara, p. 325/26; Pradel, p. 479.

[4]) Seeck pro *in arationes operas* conicit *arationis operas,* sed falso, ut mihi videtur, nam sequitur *in messes* aptum ad *in arationes.*

ubi, quamquam legem Mancianam neglegenter scriptam esse apparet, scriba *in hominibus singulis* non casu sed consulto perspicuitatis causa scripsisse mihi videtur, ut evitarentur error et assonantia ad sequentes accusativos ex *in* pendentes, qui aliam significationem habeant.

Cui opinioni probabilitatem conciliant verba eiusdem legis: III, 18 *in pecora singula* et lex Uronensis, cap. 94 (cf. Schulten p. 34 add. 2) *in annos singulos inque homines singulos . . . operas decernant;*

nam cum his locis error vix oriri possit, recte legimus *in pecora singula* et imprimis eadem verba atque in nostra sententia *in homines singulos.*

§ 3. Propter res metricas praepositiones cum casibus inusitatis coniunctas videmus[1]).

Ut in sermone soluto casus propter formas finitimas vel similes permutantur, ita in carminibus epigraphicis auctorem legibus metricis coactum praepositiones cum casuum formis inusitatis iungere videmus:

152[c] = Buech. 516, 3 = Diehl, V. I. 630.

Bene gestis omnibus cum in pátrĭă mḗcum rediret

9105[c] = Buech. 529, 1

Hoc erat quod (spera)bas agri, Donate, post mórtĕ tŭṓrum[2])

9127[c] = Buech. 517, 1 = Diehl, V. I. 1360 (a. 259).

Reddere quot solum licuit post mórtĕ mărī́te[2])

20907, 2[†] = Buech. 1835, 2

Suscipit eximium sublimis regia caeli
Basilium maritis etiam post vī́tă viventem.

Additamentum ad I, 1.

De *m* finali margine urgente omissa[3]).

Hanc partem de praepositionum constructione finio exempla in nostris inscriptionibus inventa afferens, ubi quadratarius margine litteram ultimam omittere cogitur.

---

[1]) cf. Bednara, p. 568—572; Diehl, p. 167—189: de *m* et *s* finalibus neglectis; Proskauer, p. 195—205; de *m* fin. neglecta Mau, p. 263—267, p. 265: *„Hier überall ist -m ausgelassen, um die Silbe kurz zu machen."*

[2]) cf. Diehl, p. 183. [3]) ibid. p. 220—235.

Casus, qui e praepositionibus pendent et *s* finalem amittunt, neque Proskauer affert[1]) neque ipse investigavi, nonnullos autem inveni, qui marginis causa *-m* abiecisse videntur:

4196, 12p (a. 212) *ob honore / flamoni perpetui*[2])

18564p *ob honore / Eutid.*

12422, 8 sq.v *ob que* (pro *quam*) / *liberalitatem eius*

20711, 4 sq.p *at suplendam rorticu* (*-porticu*) / *novam*

3147, 5 sq. *per Iulio Castro fratre* / (finis)

2. De praepositionum usu et significatione[3]).

Postquam igitur usum praepositionum generatim tractavi, iam quid de singulis observaverim proferam.

§ 4. De *a, ab* praepositione[4]).

1. De loco[5]).

A, ab significans aliquem vel aliquid movendo a persona aut re altera separari pendet non solum e verbis cum *a* vel aliis praepositionibus compositis[6]), sed etiam e verbis simplicibus.

Huc referas:

21179, 8c = Buech. 429, 5

Fatorum cursum properans me orbavit ab illo,

me orbavit ab illo ad analogiam verborum *solvere, seiungere aliquem ab al.* (*re*)[7]) similium factum esse probabile est[8]).

2. De magistratibus et officiis[9]).

A locum significat ubi quis est vel quid facit ut loco non moveatur.

---

1) cf. Diehl, p. 50—65.

2) sed cf. 4202, 12p (a. 213) *ob honorem fl. p.*

3) cf. Draeger², §§ 251—304, p. 574—665; Schmalz⁴, p. 393—418 Bonnet, p. 594—602; Goelzer, p. 335—337.

4) cf. Draeger², § 285, p. 619—625; Schmalz⁴, p. 406—407; Pirson, p. 199; Thes. I sub voce *a*.

5) cf. Thes. I, 4 sqq. 6) ibid. 4—8. 7) ibid. 7/8.

8) Lommatzsch in Thes. I, 8/9 *orbare a* non affert.

9) cf. Thes. I, 22/23.

Locis, ubi praepositio pendet e verbis[1]), exempla adiungenda sunt, in quibus nostra praepositio absolute de officiis ponitur.

Apud scriptores et in titulis aetatis imperatoriae saepe significationes munerum aulicorum *ab epistolis, a libellis*[2]) al. legimus, quas ad magistratuum quos iam afferam significationes magnam vim habuisse certum mihi esse videtur:

12894—97ᵛ *adiut(or) a commentariis*;

genetivum casum invenimus in titulo probabiliter suppleto

12893ᵛ *adiutor commen(tariorum)*[3])

et praepositionem *ad* in

12898ᵛ *adiut(or) ad instrumentu commentariorum* ...

1028ᵛ *dispensator a tributis*[4]).

Pro *miles IIII militiarum* habes *a* c. abl. coniunctum in 2732ᵐ (post annum 211/212) *Memmius Valerius a IIII militiis*[4]).

3. De origine[5]).

E vi locali praepositionis *a* derivatur vis originis, itaque habes *a capite,* quod in arte metrica initium versus (nostrum „*akrostichisch*") significat[6]).

20808ᶜ = Buech. 1830, 7

Si a capita[7]) *explores, ingenium nomenque probabis.*

---

[1]) cf. Thes. I, 20/21.

[2]) cf. ex. gr. Tac. ann. 15, 35 *quos ab epistulis et libellis et rationibus appellet,* C. I. L. VI, 2195 *a libris pontifical(ibus).*

[3]) De *adiutor* substantivo c. gen. cf. Thes. I, 715/16 sub voce *adiutor,* de *adiutor commentariorum* Thes. III, 1857, 18 sub voce *commentarius.*

[4]) exempla in Thes. I, 22/23 desiderantur.

[5]) cf. Thes. I, 24—28.

[6]) cf. Thes. III, 415—416 (sub voce *caput*): (*caput est hexametri*); Carm. Epigr. 676, 10 (a. 395) *Eius autem nomen capita ver(suum edunt)*; Carm. Epigr. 708 (Romae, a. 539), 745, 7; C. I. L. IX, 4796 *per capita versorum nomen declaratur*; C. I. L. XII, 631 *a capite per litteras deorsum legendo cognoscis.*

[7]) *a capita* pro *a capite* scribae neglegentia.

§ 5. De *ad* praepositione[1]).

1. De loco[2]).

Ad praepositio non solum cum verbis cum praepositione ipsa[3]) sed etiam cum praepositionibus compositis, quae ut praep. *ad* admovendi vim habent[4]), locum significat, ad quem aliquid adfertur, in quo aliquid affigitur:

2438[p] (aetate Sept. Sev., a. 195/198) *quorum nomina at latus basis iscripta sunt*[5]).

In verbis videndi quoque vis quaedam motus inest, itaque praepositio *ad* apud verbum *respicere* in hoc carmine invenitur[6]):

212, 34[c] = Buech. 1552 A, 34 (II. saec. p. Chr. n.)

. . . set si quis ad omnes
respiciat vitae casus . . .

Locus quoque, ubi quae res fit, praepositione *ad* significatur[7]):

14683 c, 7[p] (lex) (*si*)*quis de propinquis decesserit at miliarium IV.*

2. De magistratibus et officiis[8]).

Quibus titulis eos adiungo, ubi *ad* de officiis dicitur, cum aut locus aut res apponatur officium indicans; hic, sive nostra praepositio substantivum cum gerundivo coniunctum sive nudum substantivum regit, finis quidam, quem quis sibi assequendum proposuit, notatur:

1548[s] = Dessau 6828 (aetate Antonini Pii) *cum ad tuendam rem publicam . . . patronus factus esset;*

---

[1]) cf. Draeger², § 252, p. 575—582; Schmalz⁴, p. 394/395; Bonnet, p. 282—286; Goelzer, p. 327—330; Pirson, p. 193—195; Pradel, p. 466—484; Thes. I sub voce *ad*.

[2]) cf. Pradel, p. 468—474 et 482—484. [3]) ibid. p. 468—470.

[4]) ibid. p. 471/472.

[5]) Nostrum exemplum in Thes. I, 522 desideratur; sed ibid. v. 36 inveni *ad* cum verbo simplici *scribere*: lex Cornif. (= C. I. L. I, 202), 40 *nomina . . . ad eadem Saturni in pariete . . . scripta erunt.*

[6]) cf. Pradel, p. 476.

[7]) ibid. p. 482—484; ibid. ex. C. I. L. I, 197, 24 *iouranto . . . ad aerarium.*

[8]) cf. Thes. I, 528, 19 sqq.

619ᵛ = Dessau 2747 *proc(urator) ad solaminia et horrea*

2757ᵛ ... *curatori* ... *ad fisci advocationes ter numero promoto* ..., *ad anonam perp(etuo);*

9426ᵛ *structor ad repositriu* (= *repositorium*)

10500ᵛ *proc(urator) Aug. ad epistrategiam Thebaidos, proc(urator) Aug. ad census accipiendos.*

4240ᵛ *mil(iti) leg. III. Aug. exacto at praet(orium)* (*an 'praeterita'?*).

3. De formula *ad exemplum*[1].

Finem quendam aspicimus, si formulis *ad exemplum, ad modum* aliisve utimur:

236ᵛ = 11335 *Ad exemplum piissimae.*

§ 6. De *apud* praepositione[2].

Praepositio *apud* cum personis vel rebus coniuncta est, quarum in vicinia aliquis vel aliquid versatur[3]. Minus accurate dici *apud* pro *in* neque solum cum urbium[4] sed etiam cum terrarum nominibus coniunctum constat, itaque legimus in hoc titulo Africano:

619ˢ = Dessau 2747 *praepositus vexillationibus Ponticis apud Scythia et Tauricam* . . . *vexill* . . . *aput Marcomannos*[5].

---

[1]) cf. Pradel, p. 482; Thes. I, 550 ubi exempla inscriptionum desunt. cf. C. I. L. I, 1161 *ad idem exemplum*; Plaut., Mil. 757 *fit pol. illud ad illud exemplum*; ibid. Trin. 921 *quod ad exemplum est?* (Thes., ubi alia ex. habes).

[2]) cf. Draeger², § 253, p. 583—586; Schmalz⁴, p. 395/396; Bonnet, p. 586/587; Goelzer, p. 331; Pradel, p. 490—496; Loefstedt, K. P. Ae., ad 17, 1 (p. 252/253); Thes. II, 335—344.

[3]) cf. Pradel, p. 494—495.

[4]) cf. Thes. II, 337, 61—79.

[5]) In Thes. II, 337, 79—338, 8 exempla inscriptionum desunt; sed cf. hos locos Taciti, qui primus hoc modo *apud* utitur: ann. 1, 34 *apud Germanias,* ann. 1, 47 *apud Pannoniam,* ann. 4, 5 *apud Delmatiam,* ann. 6, 32 *apud orientem.*

§ 7. De *circa* praepositione[1]).

1. *Circa* idem fere valet atque *ob* vel *ad* apud Romanos, περί apud Graecos[2]).

Circa praepositio non solum de loco[3]) dicitur, sed etiam aliae rationes in eius usu apparere possunt; nam ut praepositione *ad* et substantivo ex illa pendente finis actionis notatur[4]), ita in latinitate argentea, quae nominatur, *circa* eandem potestatem habet, id quod his in titulis invenitur[5]):

4724ᵛ *Fortunatus iunior Quirina rarissimi exempli circa remunerationem uxoris pius vixit annis LXVI h. s. e.*

7066ᵖ = Dessau 1105 *una recepta (i. e. statua) circ(a re)li(q)uas onus sumptu(sque omnes) remiserit ordini*

11332ᵖ = Dessau 6836 *ob insignem eius clementiam . . . circa frumentariae rei*[6]) *largam moderationem . . .*

2. *Circa* cum notionibus affectus significat, quo modo aliquis se in alterum gerat[7]).

Ex illis exemplis ad hunc titulum iter non longum est, ubi *circa*, quamquam illam finis significationem habere videtur, tamen implicite indicat, quam bono animo is, de quo inscriptio agit, in patriam fuerit:

1548ˢ = Dessau 6827 (aet. Ant. Pii) *propter . . . merita quae circa r. p. suam et universos cives exhibuisset*[8]) . . .

---

1) cf. Draeger², § 283, p. 617—619; Schmalz⁴, p. 402/403; Antibarbarus I, 280; Goelzer, p. 332; Woelfflin, A. L. L. V, 294—296 de formis *circum circa*; Skutsch, Rh. Mus. Bd. 61, 613; Thes. III sub voce *circa*.

2) cf. Roensch, p. 392; Hoppe, p. 37.

3) cf. ex. in Thes. III, 1081 sqq.

4) cf. Pradel, p. 479—481 et supra § 5, 2 et 3 (p. 18—19).

5) cf. C. I. L. VI, 1586ᵛ *Tib. Claudius Amarantus pater circa eum parum felix* (finis).

6) de genetivo cf. supra p. 14.

7) cf. Pirson, p. 272; Friebel, p. 33: Fulg. 66_{12} *circa suos*, 833 D *circa nos*, 219 B *circa infideles*, 743 B *circa meam carnem*; multa exempla inveniuntur apud Firmicum, cf. ex. gr. Matheseos l. VIII (ed. W. Kroll et F. Skutsch, 1897) p. 27, 7, 101, 23, 107, 14, 112, 20, 133, 7, 144, 14; de err. profan. relig. (ed. K. Ziegler, 1907) p. 10, 14.

8) In Thes III, 1091, 55 sqq. hoc exemplum deest.

Apertus autem hic usus praepositionis est in sqq. ttl.:

829[p] *ob eximium amorem circa patriam*

1419, 11 sqq.[p] *propter eximiam pietatem et affectionem fraternam quam ci(r)ca se et liber. exhibet*

11332[p] = Dessau 6836 *ob insignem eius clementiam et circa singulos universosqu(e) cives praestantia(m).*

§ 8. De *cum* praepositione[1]).

1. De indole[2]).

Praepositio *cum* ut in universum adhibetur si alterum alteri additur sive alter alterum comitatur[3]), ita de animo, natura, indole, quibus homo praeditus est, dicitur.

Huc referas:

7665[v] *casta cum grandi pietate marita*[4]).

2. De instrumento[5]).

Instrumentum, quo aliquid fit, fere ablativo nudo significari nemo nescit. In hoc carmine poeta nulla alia causa nisi metro coactus illam notam regulam artis grammaticae neglexisse mihi videtur, nam uno in versu *cum* c. abl. invenitur, in ceteris abl. nudus:

212, 28 = Buech. 1552 A, 28 (saec. II. p. Chr. n.)

Quam laedunt (= *lacessunt*) *gentes vario certamine rerum,*
Graecia cū́m pŭĕris, Hispania Pallados usu,
Venatu Libyae tellus, orientis amomo,
Aegyptos Phariis levitatibus, artibus actis
Gallia semper ovans, dives Campania vino.

Pér pŭĕros evitatur propter sequentes casus ablativos.

---

1) cf. Draeger[2], § 290, p. 639/640; Schmalz[4], p. 409; Bonnet, p. 603—607; Martin, p. 41; Pradel, p. 505—519; Thes. IV, sub voce *cum.*

2) cf. Thes. IV, 1353/54. 3) cf. Pradel, p. 506—514.

4) Hoc exemplum in Thes. (ibid.) deest, sed sequentia ex inscriptionibus allata inveni:

C. I. L. I, 1009 = VI, 1096 = Buech. 53, 3 *cum magna fide*

C. I. L. X, 3969 = Buech. 91, 6 *Summa quom castitate.*

5) cf. Thes. IV, 1369/70.

3. De formula *secum servare*[1]).

Cum praepositio eum significat, qui cum altero eiusdem actionis particeps est[2]); ita adhibetur et apud verba bellandi[3]) sim. et apud verba loquendi[4]) quoque. Sed interdum alter homo non cum altero sed cum suo animo sive secum loquitur, cogitat, reputat sim. re vel consilio cum altero homine non communicatis[5]) quo usu hoc exemplum propinquum est:

212, 8[c] = Buech. 1552 A, 8 (saec. II. p. Chr. n.)

Longior excipiat memoratio multaqu(e) servet
Secum per titulos mansuris fortius annis.

§ 9. De praepositione *de*[6]).

Satis notum est scriptores latinitatis posterioris posteaque linguarum Romanensium hanc praepositionem saepius usurpasse casibus nudis (ut genetivo[7])) et reliquis praepositionibus, *in* praepositione fortasse excepta[8]).

1. De loco[9]).

Praepositionem *de* cum verbis coniunctam notare personam a loco vel re separari nemo nescit. Cum in lingua latina posterioris aetatis praepositionibus *a* et *ex* praep. *de* anteponi soleret[10]), fieri non potuit, quin ad verba *recedere* et *regredi* quoque praepositio *de* adiungeretur:

12103[c] = Buech. 524, 3

Functus fati co(lis) vita felix de luce recessi[11])

---

1) cf. Pradel, p. 518; Thes. IV, 1375/76.

2) cf. Pradel, p. 514—519. 3) ibid. p. 515/516. 4) ibid. p. 516—518.

5) De origine illius generis loquendi agit F. Leo, Der Monolog im Drama, Abh. d. Gött. Ges. d. Wiss.; phil.-histor. Kl., n. F. X, Berlin 1908, p. 94—113.

6) cf. Draeger[2], § 286, p. 625—631; Schmalz[4], p. 407/408; Bonnet, p. 607—613; Goelzer, p. 338—343; Pirson, p. 195—198; Pradel, p. 519—531; Thes. V, 42—80.

7) cf. Meyer-Lübke III, p. 55.

8) cf. Schmalz[4], p. 407—408 aliosve. 9) Pradel, p. 520—522.

10) cf. Bonnet, p. 607; Diez III, p. 162.

11) cf. Stat. Theb. 11, 74 *tantum de luce recessi* (Thes. V, 56, 73, ubi nostrum exemplum deest).

2564p = Dessau 470 (tempp. Elagabali, 218—22, p. a. 220) *regressi de expeditione felicissima orientali*[1])

2. De multitudine[2]).

Non solum a loco sed etiam a multitudine persona vel res removeri potest, itaque *de* copiam significat, cuius pars vel partes demuntur.

a) Res e copia rerum aufertur.

10927† = Dessau 8152 *haec est aeterna domus et perpetua felicitas et de omnibus meis hoc solum meum*;

9255† = Diehl, Chr. I. 99 *d(e) sancto ligno crucis Christi salvatoris adlato* (sc. *frustulo*) *adque hic sito Flavius Nuvel ... basilicum ... dedicavit*;

20600† (a. 359) *memoria sa(n)cta de lignu* (= *-o*) *crucis de ter(ra) promissionis*;

270, 26p = 11451 (a. 138) *Actum idibus Octobr(ibus) P. Cassio Secundo M. Nonio Muciano; eodem exemplo de eadem re duae tabellae signatae sunt*[3]);

de praepositionem genetivi partitivi vice fungi videmus, qui usus inde ab Eccl. scriptoribus ita praevaluit, ut genet. partit. paene evanesceret[4]).

b) Item *de* praepositio de multitudine dicitur, ex qua homo eximitur.

α) *De* post pronomina[5]).

14683, 3c, 6p = Dessau 6824 (lex) *(s)iquis de propinquis*

2557p = Dessau 2354 (tempp. Sept. Sev.) *si qui d(e) col(legis) ... si quis de tironibus*[6]).

β) *De* post substantivum pro genetivo.

2389† (aetate Constantini II., a. 641—648, ante a. 647) *Johannes dux de Tigisi*[7]).

---

[1]) cf. Thes. V, 49, 15: Tertull. adv. Marc. 2, 10 *regredi de vita*; Val. Fl. 8, 375 *vanaque recedit ab ira et tanta de clade ratis*.

[2]) cf. Pradel, p. 523/524; Martin, p. 41/42.

[3]) Praepositio *de* c. abl. in hoc titulo cum praecedenti abl. *eodem exemplo* coniungenda esse mihi videtur.

[4]) cf. Thes. V, 56, 7 sqq. [5]) cf. Anglade, p. 69/70.

[6]) sim. exempla in Thes. V, 57/58, ut Apul., met. 4, 18: *si qui de familia*.

[7]) deest in Thes. V (ibid.).

3. De instrumento[1]).

Ex aliqua pecuniae multitudine pars impensae causa sumitur in his titulis:

Merlin et Poinssot 42^{s} *de s(ua) p(ecunia) restituit*

1648^{p} *quod annonam frumenti de sua pecunia levavit.*

Idem habes ex. gr. in:

805^{p} = Dessau 4464; 1547^{v}; 5840^{s}; 488^{v}; 602^{v}; 958^{p} = Dessau 6819; 501^{p} (temp. Dioclet.).

4. Metri gratia *de* usurpatur[2]).

In praecedentibus partibus huius paragraphi de progressione usus nostrae praepositionis tractavi, in sequenti nonnulla verba de eis versibus faciam, ubi metro coactus poeta praepositione *de* pro *ex* uti videtur, nam ut Pradel dicit[3]): „*nach einem vokalisch oder auf m mit vorhergehendem Vokal endigenden Worte soll die Elision vermieden, muß also de genommen werden*".

Huc referas carmen:

Cagnat, A. E. 1909, $177^{s, c}$

v. 8 *Húnc tĭbĭ dé móre*[4]) *damus difficil(em haedum)*[5])
v. 9 *Húnc tĭbĭ dé vóce patris falciten(entis)*[5])
v. 10 *Haéc tĭbĭ dē mṓre*[4]) *tuo pini ferae s(unt)*[5])
v. 15 *Cantet ádsuētá dē fístul(a)*[6])
v. 16 *Adsit ét lūdó dē mṓre*[4]) *pat(rio)*[6])
v. 17 *Cantet ét rŏsĕá dē tíbia*[7])[8]).

---

[1]) cf. Bonnet, p. 612; Martin, p. 41; M. Hoffmann, p. 131; Roensch, p. 392—395; Scheifler, § 44 b, p. 69; Thes. V, 61, 13—83.

[2]) cf. Pradel, Bemerkungen zu der Sprache und Technik der römischen Daktyliker; Glotta II, p. 56—75.

[3]) ibid. p. 58/59.

[4]) De *ex* praepositione modum indicante cf. Forcellini-De-Vit, sub voce *ex* II, 918 (sub n. 26) et Georges I sub *ex*. *De more* inde a Vergilio usitatius est praepositione *ex* cum abl. *more* coniuncta, cf. Thes. V, 78.

[5]) cf. apud Pradelum (ibid.) ⏒ ⏑ ⏓ *dē*: Lucr. 6, 766 *dúcĕrĕ dé latebris.*

[6]) ibid. ⏒ – ⏓ *de*: Lucr. 1, 788 *A coelo ád tērrám dē térra ad sidera mundi.*

[7]) ibid. ⏒ ⏑ ⏑ ⏓ *de*: Lucr. 1, 205 *Nil igitúr fīĕrí dē nílo posse.*

[8]) sed Ovid., fast. 6, 660: *Tibia cantat* (Georges).

§ 10. De praepositione *ex*[1]).

1. De separatione[2]).

Persaepe *ex* praepositio notat personam vel rem ab aliis rebus discedere aut amoveri, ut apud alia verba cum ipsa praepositione composita[3]) ita apud verbum *expellere,* cuius analogiam in

1863 p (aet. Iustiniani) *abscisos ex Africa Vandalos*[4])

valuisse conicio.

2. De multitudine[5]).

Personam vel rem ab aliis personis vel rebus interdum separari vidimus, unde non longum est iter ad praepositionem *ex* copiam significantem, cuius de parte agitur.

a) Persona e compluribus hominibus eligitur.

α) *Ex* post numeralia.

14611 p = Dessau 6811 (a. 109—111) *sacerdoti provinc. Afric . . . qui primus ex colonia sua hunc honorem gessit*

2532 A, b p = 18042 = Dessau 2487 (Hadr. imp., a. fere 128) *et qua(ternos) ex centuris . . . dedistis.*

β) *Ex* post substantiva.

3050 m = *eq(uiti) ex singularibus*

21047 m *Q Marcius miles ex legione III.*

21814 m *eq. ex vexillatione ale Flaviae ex singularibus.*

b) Res e multitudine sumitur.

2009 † *vixit annis LII ex quibus vixit in episcopali magistratu annis XII*

262 p = 11430 = Dessau 6835 *ex cuius quantitatis usuris divisiones dec(em) dantur*

---

1) cf. Draeger 2, § 287, p. 631—638; Schmalz 4, p. 408/409; Bonnet, p. 614/615; Martin, p. 43; Pradel, p. 533—548; Scheifler, § 46 b, p. 71; de formis *e* et *ex* agit Loefstedt, K. P. Ae., ad 3, 2 p. 89—91: *ex* forma in sermone vulgari formae *e* anteponitur.

2) cf. Pradel, p. 533—537. 3) ibid. p. 534.

4) In Thes. I, 149, 76 (sub voce *abscindere* translate = *separare*) nullum exemplum nisi nostrum, ubi *abscindere* cum praepositione *ex* coniunctum est, invenitur, sed complura, in quibus *a* ex illo verbo pendet.

5) cf. Pradel, p. 538/539.

Lex Manciana I, 9/10 (a. 116—117) *ex fructibus . . . partes prestare debebunt.*

3. De origine[1]).

Locus, unde aliquis vel aliquid exit, origo eorum esse potest, itaque *ex* cum nominibus coniungitur, quae alicuius personae aut rei ortum indicant.

a) Origo hominis notatur.

9381[m] = Dessau 2763 *Sex. Iul(ius) Iulianus ex Germania superior(e) tribunus n(umeri) Syrorum Mevensium hic sepultus est.*

57[†] *hic Iohannes iacet ex g(e)nere probincie Surie Apamia*

69[p] *civitas Guricensis ex Africa.*

b) Principium rei significatur.

Ut apud praepositionem *de*[2]) ita hic saepe fit, ut *ex* cum ablativo vice abl. instrumenti nudi fungatur:

1260[v] *(e)x s(ua pe)cunia*

811[v] *ex HS* $\overline{V}$ *milibus* $\bar{n}$ *faciundum curaverunt*

883[p] = Dessau 6816 *(cur)ator splend. rei publicae . . . ordo decurionum ex sportulis suis*

1641[p] = Dessau 6818 = F. I.[7] 150 (aet. M. Aureli et L. Veri) *ut ex usuris eius summae quincuncibus quodannis alantur pueri CCC et puellae CC*

754[p] (aet. Sept. Sev.) (*quod ob honorem*) *flam(onii) sui ex HS* $\overline{VII}$ *mil. distribuendum promiserat.*

Homines si ad opus conficiendum labores impendunt, quodam modo illarum rerum principium sunt, itaque hoc exemplum addere mihi permissum sit:

9067[s] = 20756 (incert.) *(ex qua)dratario opere sua pecunia fecit*;

sed genetivum habes in

20743[s] = Dessau 4431 *liberis suis hanc aram operis quadratari donavit.*

Illud exemplum probat praepositionem *ex* interdum vice genetivi partitivi fungi, id quod in hoc quoque carmine habes:

---

[1]) cf. Pradel, p. 539—542. [2]) cf. supra p. 24.

15569, 10[c] = Buech. 525, 6
(*F*)*l*(*or*)*ib*(*us*) *aspersus iaces ex pratalibus arvis,*
ubi verba *ex pratalibus arvis* propter hexametrum in exitu versus posita attinere ad substantivum *floribus* certum mihi esse videtur.

4. De magistratibus et officiis[1]).

Constat *ex* praepositionem cum nomine muneris coniunctam eum civem significare qui magistratu se abdicavit[2]) (cf. nostrum *a. D.*); huc referas:

962[p] (*e*)*x*(*curatore*) *r*(*ei*) *p*(*ublicae*)

2529 et 2530[s] = Dessau 2291 (tempp. impp. Carini et Numeriani, a. 283/84) *M. Aurelius Decimus . . . ex principe peregrinorum votum solvit.*

969[p] (tempp. Arcadi et Honori, a. 400/01) *ex t*(*ransvectuario*) *et naviculario ex mun*(*eracio*) *et ex curatore r*(*ei*) *p*(*ublicae*) . . . *dedicavit*

2226[s] *ex b*(*eneficiario*) *le*(*gati*) *tempore votum solvit*

2699[n] (aet. Commodi, a. 180—192) *C. Pomponius Maximus ex c*(*enturione*)

21064[m] *ex decurione alae*

2885[m] = Dessau 8167 *veteranus leg*(*ionis*) *III. Aug*)*ustae*) *ex optione*

2528[s] (post a. 198) *L. Baebi Felicis vet*(*erani*) *ex signifero*

18294[m] *T. Caesennius Alexander vet*(*eranus*) *ex signifero*

1647[m] *Victori centurioni legionario ex equite Roman*(*o*).

In omnibus illis exemplis praepositionem *ex* cum substantivis coniunctam vides, in sequenti autem cum participio munus quoddam significante:

989[p] (aetate christiana) *Fl*(*avio*) *Arpacio fl*(*amini*) *p*(*er*)*p*(*etuo*) *huiusce civitatis ex agente in rebus . . . ex adiut*(*ore*) *in-l*(*ustris*) *viri mag*(*istri*) *officior*(*um*).

---

[1]) cf. Georges, sub voce *ex*.

[2]) Exempla praepositionis *ex* cum muneris nominis nominativo (*exconsul, excurator* sim.) ex ablativo hypostasi orto in titulis Africanis non inveni; nam in 1836 (II. saec.) *ex consul. praefect.*, utrumque verbum compendio ultimas litteras amisisse videtur; sed affert exempla Georges [7], sub voce *ex*.

5. De formula *sua ex sponte*[1]).

Praepositio *ex* cum ea re coniungitur, quae causa alicuius actionis est, itaque habes inter alias formulas *ex lege, ex sententia, ex voluntate sua* (Sisenna fr. 49 Peter, hist. Roman. fragmenta), *ex suo ingenio* (C. I. L. I, 1169) quarum analogia formula

4515p (tempp. Maximini Thracis et Maximi, a. 235—238) *sua ex (s)ponte*

intellegenda esse mihi videtur.

§ 11. De praepositione *in*[2]).

A. *In* cum accusativo.

1. De tempore.

In c. acc. notat personam usque ad tempus aliquod officio suo fungi, vivere; quo referas

217p = Dessau 2658 (post bellum Parthicum Septimi Severi anni 197/99) *agit in diem operis perfecti annos LXXX,*

quae constructio fortasse hac contaminatione explananda est: *vixit usque in diem*[3]) *operis perfecti annos tot* et *agit die operis perfecti annum octogesimum primum.*

2. De modo.

Singularis est hic usus praepositionis *in* modum indicans qui fortasse explicari potest inde quod *ire in sententiam* (*pedibus*) habes[4]):

15880, 6p *sententiam interrogatus censuit in v(er)ba infra scripta*[5]).

---

1) cf. Pradel, p. 544—547.

2) cf. Draeger², § 298, p. 646—661; Schmalz⁴, p. 412/413; Bonnet, p. 616—620; Goelzer, p. 344—349; Pirson, p. 198/199; Friebel, § 81, p. 46—48.

3) cf. Quint. 8, 3, 68 *in illum usque diem.*

4) Momms., R. St. III 992, adn. 5.

5) cf. Martin, p. 43.

B. In cum ablativo.

1. De loco[1]).

Eodem modo atque apud *in* c. acc. hic quoque ab usu locali *in* c. abl. praepositionis initium facio.

Verba occultandi partim cum abl. nudo partim cum *in* et abl. vel acc. coniungi solent. Ita fit, ut illae constructiones inter se permisceantur, ut tituli Africani quoque ostendunt.

Pro usitatiore *claudere aliqua re* habes *claudere in al. re* in 152[c] = Buech. 516, 7 = Diehl, V. I. 630

Luce privata misera qu(i)escit in marmore clusa,

nisi *in* cum verbo *quiescit* coniungendum est,

et *concludere aliqua re* in

2390[p] *am(bitu)m fontis cance(llis a)ereis conclu(dendum curavi)t.*

Pro ablativo limitationis (e. g. *pedibus, manibus*) habes hexametri gratia fortasse *in* c. abl. in

15569, 8[c] = Buech. 525, 4

(Su)cidus[2]) *in membris, oculis et corpore sano.*

16406, 5[v] = Dessau 4471 *sacerd(os) dei Ditis in loc(o) prim(o) bon(us) prob(us) incomp(arabilis),*

Schmidt editor annotat:

'*sacerdos loci primi* (VIII, 6359) et *loco secundo* (IX, 1541) ut recte dicitur ita parum Latine *sacerdos in loco primo*[3]).'

2. De verbis credendi cum *in* et ablativo.

Verba credendi et confidendi plerumque cum dativo vel ablativo coniungi solent[4]).

Qua a lege syntactica ut verbum *credere*[5]) ita verba *fidere, confidere* discrepare hi tituli aet. christianae probant:

---

[1]) ibid. p. 24/25, 44. [2]) Schmidt: *placidus.*

[3]) Momms. ad hunc titulum annotat: possis temptare *in loc(o) prim(o) bon(is) prob(atus).*

[4]) cf. Draeger[2], p. 405; Thes. IV, sub vocibus *credere* et *confidere.*

[5]) cf. Friebel, § 81, p. 47 (*credere in* c. abl.); Thes. IV, 1146, 26—57, ex. gr. Vulg Ioh. 3, 36 (Tert. adv. Prax. 29, p. 265, 11): *qui non credit in filio dei, non videbit deum* (ὁ ἀπειθῶν τῷ υἱῷ); Vulg. II, par. 20, 20: *credite in domino deo vestro* (ἐμπιστεύειν ἐν).

1247† = Diehl, Chr. I. 206 *qui in deo confidet, semp(er) vivet*[1])
2218† = Diehl, Chr. I. 220 *fide in deu*[2]) *et ambula*[3]);
adiectivum *fidelis* cum *in* occurrit in 11106† *fidelis in deo*[4]).

3. Usus ille localis praepositionis *in* ad *in* significans, quomodo aliquis aliquid faciat, patiatur, traducit[5]).

Formulis notis *in spe, in dolore, in periculo* sim. formulam addo, quae imprimis in titulis christianis V. saec. de defunctis dicitur: *in pace* = ἐν εἰρήνῃ,
quae exstat in:
1389†; 21539†; 21676† (a. 491); 21680† (a. 469); 21681† (a. 469); 21682†; 21688† (a. 470); 21694† (a. 475),
sed accusativus insignis est in
21540† *cui filios et nepotes obitum fecerunt in pacem* (finis)[6]).

4. De tempore[7]).

Ut *in* locale ubi quis sit, ubi quid faciat notat, *in* temporale significat, intra quod tempus aliquis aliqua versetur aut aliquid fiat:

a) Apud substantiva cum numeralibus.

646ᵛ *in annis viginti duobus*
647ᵛ *in annis triginta . . . vixi*
682ᵛ *in annis XIV, quibus datum est ut (si)miter* (Mommsen *(co)miter*, Skutsch *simitur*[8])) *viverent*

---

1) Hoc ex. deest in Thes. IV, 208, sed cf ibid. Dares 7: *in deorum benignitate c.*, Hieron., psalm. 117, 8: *in Domino conf.*, psalm. 2, 13: *omnes qui confidunt in eo.*

2) de casuum num. sing. permutatione cf. supra p. 5—8.

3) cf. II. Cor. 5, 7 διὰ πίστεως περιπατοῦμεν, οὐ διὰ εἴδους.

4) idem in XIII, 3512; in X, 4712 (a. 346) legimus: *felici filio dulcissimo fideli deo, qui vixit annis . . .,* sine *in;*

5) cf. Draeger², p. 651; Martin, p. 44.

6) sed cf. p. 7: tl. 13977† *triumfalica in den fidelis in pace.*

7) cf. Draeger², p. 531; Konjetzny, § 42a, p. 329; Martin, ibid.

8) cf. Lindsay, p. 650.

21567 B, 12[s] (imp. M. Aurel., a. 174) *Laeones in dieb(us) quadraginta feci.*

b) Apud substantiva sine numeralibus.

14[p] *Heraclii ... puero ... filio ac collegae ... exhibenti ... in parvulis annis*

684[†] (aet. satis recentis)

ne dubium long(o) umquam vereretur in ebo (= *aevo*)

2389[†] (temp. Constantini Constantii II., a. 641—668; ante a. 647) *in temporibus Constantini*

2494[p] = Dessau 2636 (temp. Caracall., a. 211—217) *bis posuit Caletamera in te(m)pore suo.*

Additamentum ad B.

In titulo

2902[v] *Pompeius Severianus vet. in suo genero carissimo s(ua) p(ecunia) f(ecit),*

utrum *in* eum significet, pro quo aliquid fit, an eum, cuius in nomine, integrum relinquo.

§ 12. De *inter* praepositione[1]).

1. De verbis praestandi cum *inter*.

Si quis vel quid in multitudine hominum vel rerum versatur, interdum fit, ut ceteros superet, excellat, quapropter eodem modo ac praepositiones *praeter* et *ante* imprimis inde a Livio praepositio *inter* cum verbis praestandi coniungitur:

1828[p] = Dessau 5783 *inter cetera* (*beneficia etiam*) *ornamentum moenibus et salutem civibus perpetuam ... contulerit.*

2. De verbis creandi cum *inter*.

Sed *inter* non solum eum significat, qui in multitudine exstat, sed etiam eum, qui in illam legitur, creatur, qui usus ante Livium non invenitur[2]):

---

[1]) cf. Draeger[2], § 273, p. 608—611; Schmalz[4], p. 401; Loefstedt, K. P. Ae., ad 6, 3 (p. 171).

[2]) cf. Draeger[2], p. 610, ex. gr. Liv. II, 16; Quint. 1, 11, 18; Suet., Nero 1, § 2: *inter patricios adlecti;* alia; falso (ibid.) allatum est: Suet., Aug. 2, § 1: *inter Romanas gentes adlecta*; nam *in senatum* voces sequentes, quae cum *adlecta* coniungendae sunt, neglectae videntur esse; habes igitur: *ea gens a Tarquinio prisco rege inter minores* (ut Ihm rectius legit) *gentes adlecta in senatum.*

262p = 11430 = Dessau 6835 *inter quin(quennali)cios* (?) *adlecto*

597v (quem titulum initio III. saeculi factum esse verisimile est) *adlectus inter co(m)i(t)es.*

3. De verbo *placere* cum *inter.*

Inter eum significare, qui in hominum manum venit, videmus, unde iter non longum est ad eos titulos ubi praepositione *inter* metaphorice notatur, qua de re duo vel complures homines consentiunt.

Per analogiam constructionis *convenit inter*[1]) verbum impersonale *placet* cum *inter* praepositione coniunctum offenditur in:

14683 a, 6p = Dessau 6824 (lex a. 185) *placuit inter eis* (= *eos*[2]))[3]).

§ 13. De *per* praepositione[4]).

1. De loco[5]).

Praepositio *per* significat rem aliquam in spatio diffundi: Cagnat, A. E. 1904, 21p (a. 152) *viam per Alpiis* (sic!) *Numidicas vetustate interruptam . . . restituit.*

2. De magistratibus.

Proconsules, propraetores, alios magistratus Romanos iurisdictionis vel similium munerum gratia in provinciis suis non uno loco perseverasse sed huc illuc migravisse constat. Itaque praepositio *per* cum accusativo terrae alicuius post significationes magistratuum quasi formula facta videtur esse:

7030p = Dessau 1119 *curatori civitatum per Aemiliam*

---

1) cf. Thes. IV, 836, 65—837, 11.

2) de *inter eis* sim. cf. p. 9; praeterea Schmalz⁴, p. 401; Planta II, 443: *anter teremnîss*; Neue-Wagener II, 929.

3) cf. August., ep. 238, 1: *inter nos mane placuerat, ut a notariis verba nostra exciperentur.*

4) cf. Draeger², § 272, p. 602—608; Schmalz⁴, p. 405/406; Bonnet, p. 590/591; Goelzer, p. 333; Scheifler, § 46d, p. 71.

5) cf. Martin, p. 45.

597 p (ineunte III. saeculo) *iu(r)idico per Aemiliam et Etruriam* ('fortasse = *Liguriam* propter sequentem *Tusciam*', Wilmanns) *(e)t Tusciam praetori*

8227 p = Dessau 1347 *proc(uratori) per Flaminiam Umbricam Picenum . . . proc. alimentor(um) per Transpadum Histriam Liburniam*

12296 p = Dessau 2774 *M. Cornelio . . . duci per Africam Numidiam Mauretaniamque*

12442 p = Dessau 1110 *iuridico per Italiam reg. Transpadanae.*

3. De causa[1]).

Non solum cum personis sed etiam cum rebus praepositio *per* in formulis ut *per amorem, per iram, per metum* sim. coniungitur. Inde a Floro et Apuleio nostra praepositio praeter illa substantiva pronominum vel adiectivorum casum accusativum neutrius generis regit, ut *per hoc, per haec, per quae* al. offendantur.

In nostris titulis *per hoc* = *propterea* occurrit in:

15880, 13 p *cum . . . enic(ent) . . . eniteat ac per (h)oc statuam . . constituendam.*

Additamentum ad § 13.

Cum alio modo tum certis praepositionibus adiectis interdum vim verborum augeri notum est. Itaque hoc loco nonnulli tituli mihi afferendi sunt, ubi *per* sensum verbi validiorem facit[2]).

Audollent, D. T., n. 250 A v:

v. 2. *obliges perobliges Maurussum venatorem, quem peperit Felicitas*

v. 22. . . . *obl(i)getis pe(r)obligetis . . . cor membra viscera interania (M)auruss(i)*

---

[1]) cf. Draeger², p. 608; Bonnet, p. 591; Schmalz⁴, p. 405; ex. gr. Sen., ep. 66, 32: *per illud, quod boni sunt, pares sunt;* Plin., ep. 8, 10: *per hoc quaedam omittit.* Imprimis cf. W. A. Baehrens, Glotta IV, p. 278/279, sub *per* = *propter.*

[2]) cf. Dr. Frau K. v. Garnier, Die Präposition als sinnverstärkendes Suffix; Heidelberger Diss., Leipzig 1906, p. 51—57 imprimis.

1027, 5[c] = Buech. 484, 5 = Dessau 1710 (II. saec. exeunte vel postea)
Postea potiones calicis perduxi libenter

V. d. Buecheler ad nostrum carmen annotat:
Pocula, potiones ducere inde ab Horatio usitatum est, *perducit laeta liquorem* in carmine legitur Orphico apud Arnobium V, 26.

§ 14. De *post* praepositione[1]).

1. De tempore[2]).

Nonnulla exempla usus illius inde ab antiquis temporibus exstantis[3]) investigavi, ubi *post* cum acc. part. perf. pass. coniunctum notat altera re facta alteram fieri:

1863[p] (imp. Iustiniano, a. 527—565) *post abscisos ex Africa Vandalos exstinctamque per Solomonem universam Maurusiam gentem . . . Thyeste (civitas) aedificata est*

4373[v] = Dessau 8082 = Diehl, V. I. 1212 *et post reliquias recollectas, ut molliter essent, tumulo conditas effeci.*

His titulis addo

8924, 9[s] *quam etiam de Sitifensi adgressus Quinquegentaneos rebelles caesos multos etiam et vivos adprehensos sed et praedas actas repressa desperatione eorum victoriam reportaverit,*

ubi *post* ante *caesos* excidisse videtur, praesertim cum accusativi absoluti plerumque cum ablativis absolutis coniuncti reperiantur[4]).

2. De pretio.

Post praepositio non solum cum rebus coniungi solet quibus alia res vel loco vel tempore antecedit, sed etiam in

---

[1]) cf. Draeger², § 267, p. 599; Schmalz⁴, p. 396/397; Bonnet, p. 591/592; Carnoy, p. 354; Loefstedt, B., p. 64—68; Friebel, § 60, p. 35.

[2]) cf. Schmalz⁴, p. 456/457.

[3]) cf. ex. gr. Cato, orig. 4 fr. 84 (Peter, Hist. Rom. Fr.) *post dimissum bellum; XII tabb.: post solem occasum*; lex Iulia municipalis 14: *post solem ortam*; ibid. 8: *post h. l. r(ogatam)*; raro apud Ciceronem: Phil. 3, 9 *a condita urbe . . . post reges exactos.*

[4]) cf. de accusativo absoluto imprimis Konjetzny § 29, p. 319.

latinitate posteriore cum iis, quae minoris momenti sunt quam alia quaedam:

210, 1 p = Dessau 5570 (inter a. 312 et 323) *post alia arcum quoque*[1]).

§ 15. De *pro* praepositione[2]).

Nonnulli tituli in promptu sunt, ubi praepositione *pro* substantivum regente causa indicatur, qui usus imprimis in latinitate posteriore pullulabat[3]):

2170 v = Dessau 8499 *pro amore*[4]) *Romano quievit ab hoc Capeliano captus*

389 v et 488 v *pro pietate posuit*[5])

§ 16. De *sub* praepositione[6]).

1. *Sub* significat alterum alteri subiectum esse[7]).

Praepositione *sub* alteram rem altera re altiorem esse significatur. Quo ex usu locum indicante *sub* praepositionem c. abl. auctoritatem, potestatem notantem ortam esse constat. Ac *sub imperio, sub potestate* similesve formulae iam in latinitate Ciceroniana exstantes imprimis in latinitate posterioris aetatis usurpatae sunt[8]), eodem modo habes in nostris titulis:

---

[1]) cf. Sall., Iug. 73: *sua necessaria post illius honorem ducerent* (= *postponerent*); Sen., ep. 40, 11: *quod post ista est*; Nemes. Bucolic. III, 21/22: ... *nam cum post sidera caeli*
Sola Iovem Semele vidit Iovis ora professum.

[2]) cf. Draeger², § 292, p. 642—645; Schmalz⁴, p. 410; Bonnet, p. 615/616; Goelzer, p. 343; Friebel, § 75, p. 43/44; Martin, p. 45.

[3]) cf. Loefstedt, K. P. Ae., ad 5, 10 (p. 156).

[4]) cf. in lingua francogallica priscae aetatis *pro deo amur* (Schmalz⁴, p. 410).

[5]) In latinitate classica, quae nominatur, *pro dignitate* vel similes locutiones inveniuntur; cf. ex. gr. Cic., Rosc. Am. 12; Cic., Verr. II, 1, 34; Liv. 5, 4; al. ex aff. Draeger², ibid.

[6]) cf. Draeger², § 299, p. 661—663; Schmalz⁴, p. 413/414; Bonnet, p. 620/621; Friebel, § 85, p. 50.

[7]) cf. Martin, p. 45/46.

[8]) cf. Draeger (ibid.) et Fulg. 176 q *sub cuius regnum* (*pro -o*) *nasci dignata est deitas* (Friebel).

8490, 3[v] = Diehl, V. I. 1552 *Valerius Marcellinus eques de sub cura Valeri (p)rae(f) equitum memoriam fecit.*

939[s] *templum ... restituit subcura Alcibiadis*[1]).

2. De tempore[2]).

a) Ut ablativus nudus ita *sub* cum ablativo significat aliquid temporibus certis fieri, qui usus haud scio an contaminatione usus supra dicti (*sub potestate* sim.[3]) et ablativi nudi tempus significantis ortus sit:

8805 *sub tempo(ribus) domini nostri*

Monceaux, R. A., Bd. 7 1906, n. 176, 4 (p. 276) = Riese, Anth. lat. n. 354:

Cui vita innocua est quarto dirupta sub anno[4]).

b) Imprimis autem hoc loco de *sub* praepositione cum ablativo *die* coniuncta in diei in kalendariis significatione mihi disserendum est; quem usum aetate posteriore pullulasse Konjetzny explicavit[5]).

In titulis Africanis haec excempla investigavi:

453[†] *sub die III. Nonas Maias*

2011[†] *requiescit in pace sub die quartu Kalendas Nobembres*

5262[v] *recessit in pace sub die III Kal ...*

5264[v] *sub die Idus Februarias indictione quarta decima,*

sim sunt tll. 457[v], 458[v], 460[v];

11 652[†] *su(b) di(e) Ka(lendas) Se(p)te(m)b(re)s,*

sub die Kal. Sept. formula utrum pro *pridie Kalendas Sept.* an pro *Kalendis Septembribus* scripta sit in incerto sum, item de hac inscriptione sententiam dicere non audeam:

17 414[†] *quiebit sub d(ie) N(o)n. Aucust.* (sic!) *indic(tione) XV.*

Notanda est diei significatio in hoc titulo christiano VI. saec.:

---

[1]) in Thes. IV, 1468, 37 sqq. (sub voce *cura*) hoc exemplum deest.

[2]) cf. Draeger[2], p. 602; Martin, p. 45. [3]) cf. supra p. 35.

[4]) cf. Hieron., ep. 77, 10: *sub una aestate*;
C. I. L. VI, 8401 = Buech. 1388,1:
Impia mors rapiens teneris te, nátĕ, sŭb ánnis
(versus causa fortasse); praeterea cf. Georges II, 2548: *sub die, sub luce* sim.

[5]) § 42 b, p. 329/330; praeterea Martin, p. 23/24.

Cagnat, A. E., 1903, 96 (a. 581 vel 582) *imp(e)r(ante) Tiberio anno V ind(ictione) XIIII s(ub) d(ie) pr(i)d(ie) n(o)n(a)s Octobres*[1]).

Aut per analogiam formulae *sub die IV nonas Oct.* ad *pridie nonas Oct.* additum esse videtur *sub die* aut verbis *sub die pridie* sensus *sub die II* subest[2]).

§ 17. De *super* praepositione[3]).

Aliam personam aliis praestare, aliam rem aliis meliorem esse in monumentis linguae latinae inde a Sallustio non raro *super* praepositione significari invenias. Idem habes in:

2574[F] (aet. Maximini) *Maximino . . . super omnes retro principes fortissimo*

4826[P] (imp. Commodo) *felicissimique prin(cipis) et super omnes p(rin)cipes nobissim* (= *nobilissimi*)[4])

6965[S] = Dessau 3181 *ex liberalitate L. Iuli Martialis patris sui super aliam liberalitatem Romae externae . . . dedit.*

3. De praepositionibus compositis[5]).

In latinitate posteriore imprimis in sermone volgari propter singularium praepositionum potestatem fortasse minutam interdum complures praepositiones coniunctae exstant[6]).

---

[1]) cf. C. I. L. VI, 1166 (a. 355) b, 1: *d(ie) pridie kal. Ianuarias* (Konjetzny, p. 329).

[2]) Martin, p. 23, ad Inscr. Hispan. Christian. (ed. Hübner) 316: *requievit in pace . . . die pridie kal. Februarias,* addit: *Die* and *pridie* are found side by side in one inscription and the whole expression seems to be the simple equivalent of *a. d.*

[3]) cf. Draeger², § 300, p. 663/664; Schmalz⁴, p. 414; Bonnet, p. 621/622; Friebel, § 85, p. 50; Hoppe, p. 41; Martin, p. 46.

[4]) cf. ex. gr. Fulg. 729 A: *super primum (hominem) superbus*; Buech. 1165, 7/8 = C. I. L. VI, 21846

Formosa et sensu mirabilis et super annos
Docta decens dulcis grataque blanditiis.

[5]) cf. Schmalz⁴, p. 417; C. Hamp, A. L. L. V, p. 321—367; Skutsch, p. 95; Lindsay-Nohl, p. 660; Meyer-Lübke, III, p. 488; Anglade, p. 77.

[6]) cf. Hamp, p. 325.

§ 18. De praepositionibus compositis praefixione ortis.

Nonnulla exempla inveni ubi ante alteram praepositionem et casum ex ea pendentem altera praepositio posita est, ut verbis v. ven. Skutschii utar: *„die Verbindung aus Präposition und Kasus ist von einer anderen Präposition abhängig gemacht“* [1]).

In lingua francogallica, ut *devant* ex *de ab ante* ita *depuis* ex *depost* [2]) oritur [3]), quae praepositio in latinitate posteriore usitata fuit:

9162 v (a. 227) *depost cuius morte(m)*.

Eodem modo habes *de* praep. cum *sub* coniunctam in:

8490, 3 v = Diehl, V. I. 1552 *Valerius Marcellinus eques de subcura* [4]) *Valeri (p)rae(f.) equitum . . . memoriam fecit.*

Audollent, D. T., n. 250 B, v. 7 et 16 v: *desub ampitiatri corona.*

Quibus exemplis sermonis soluti *adcirca* praepositionem compositam in hoc carmine inventam addo, quamquam sensus versus difficilis est intellectu.

Cagnat, A. E., 1906, 39, 12

Filiam nurumque adfectionis aequavit gradu
Has donavit auro atque argento aequaliter
Vestemque ambabus sua adsignavit manu
Gratum se atque pium ut commendaret suis
Ad circa meritos quoque fecit plurimos
Et qui numquam infirmatus in vita est sua
Annos peregit duos et octoginta.

§ 19. De praepositionibus compositis adverbii suffixione ortis.

Praepositiones cum *-versus, -secus, -tenus* compositae eo modo ortae sunt ut ad praepositionem adverbium adiceretur,

---

1) cf. Rh. Mus. 61 (1906), p. 613.

2) al. ex. Hamp affert, p. 340/341; praeterea cf. Körting 3, n. 2760, p. 333/334, sub voce *de*.

3) cf. Meyer-Lübke I, 487 et III, 281; *de + post* = ital. *dópo* (für *dopó*) = *nach, nachher* (Körting 3, n. 2760, p. 334).

4) cf. Hamp, p. 361/362; Friebel, p. 51.

id quod etiam ad praepositiones cum *-usque* compositas attinet[1]. Itaque *adusque*[2]), ex quo in lingua francogallica *jusque* oritur, offenditur in:

9592, 5† *ad usque VII idus Decembr.*[3]).

II. De pronominibus[4]).

1. De pronominibus personalibus et possessivis.

§ 20. Ad usum pronominum personalium et possessivorum metrum aliquid momenti interdum habet.

1. Pronominum quaedam formae versui aptae sunt.

Primum nonnulla carmina affero, ubi pronomen sententiae sensu non desideratum metri gratia additum videmus:

212, 38 = Buech. 1552 A, 38 (II. saec. p. C. n.)

Núnc ĕgŏ nón dubitem tacitis Acherontos in umbris

1027, 1 = Dessau 1710 = Buech. 484, 1 (II. saec. exeunte vel postea)

Dum sum Vitalis et vívo͡ ĕgo feci sepulchrum

1523, 6 = 15539 = Buech. 1237, 6 (medio II. aut III. saec.)

Vos quoque qui legitis versus et facta probatis
Discite síc vēstrōs merito sancire parentes.

Pron. poss. genetivi pluralis vicem pron. pers. genetivus singularis explet in:

---

1) cf. Hamp, p. 325 sqq.

2) cf. Thielmann, A. L. L. VII (1892), p 106—111.

3) cf. Thes. I, 899/900; de usu praepositionis *adusque* apud poetas dactylicos agit Bednara, p. 325/326; praeterea cf. Prudent., peristephanon X, 763 *Cervicem adusque dehonestaret caput;* Buech. 1347 A, 8 = C. I. L. VI, p. 389 *Cur non vota tui vixit ad usque boni?* idem in II, 6278 (a. 176/177).

4) cf. Draeger[2], §§ 26—56, p. 66—106; Schmalz[4], p. 336, 343, 358, 617—630.

15716^{c} = Buech. 966, 3
Tum tibi sí quă mĕí[1]) *fatorum cura manebit*[2]).

2. Poeta metro urgente pronomina neglegit.

152^{c} = Buech. 516, 6
Illa domum servare meam illa et consilio iuvare,

ut in hoc versu longiore quam usus fert ex verbis *domum servare meam* accusativus *me* (*consilio iuvare*) animo supplendus est, ita in sequenti subiectum constructionis acc. c. inf. quae nominatur omissum est:

4635, 11^{s} = 16810 = Buech. 254, 12 (III. saec. p. Chr. n.)
Et sentire iubes quod cernere posse negasti[3]),

desideramus *nos* (*sentire*) et *nos* (*cernere*).

§ 21. Pronomina abundanter addita sunt[4]).

1641^{p} = Dessau 6818 (impp. M. Aurelio et L. Vero)
municipibus meis Cirthensibus Siccensibus carissimis mihi dare volo.

9052, 4^{v} (*l*)*iberos quos a te Clodia Luciosa uxore mea suscepi,*

quo in titulo ablativus *mea* propter praecedens pronomen *te* sine ullo sensu additus esse videtur aut, id quod verisimilius esse opinor, pronomen *te* per errorem sive auctoris sive scribae inscriptionis incisum est.

§ 22. De pronomine possessivo *suus*[5]).

Nonnullis verbis usus pronominis *suus* videtur dignus esse. Nam titulos aetatis optimae, ubi *suus* usurpatur, diligenter intuentes pronomen plerumque non praeter necessitatem additum

---

[1]) cf. Brenous, p. 103—106; Konjetzny, § 46, p. 333; Roensch, p. 418.

[2]) sed cf. Buech. 965, 3 *Quod si forte tibi fuerit fatorum cura meorum;* ubi duo genetivi numeri pluralis in *-orum* exeuntes uno eodemque versu pedum usitatum numerum excedente coniunguntur.

[3]) cf. Draeger^{2} II, p. 313/314.

[4]) cf. Schmalz^{4}, p. 671; Anglade, p. 79; Goelzer, p. 408 sq.; Konjetzny, § 50 b, p. 334/335; Pirson, p. 301 sqq.

[5]) cf. Schmalz^{4}, p. 619; Konjetzny, § 44, p. 332/333 et § 50 b, p. 334/335.

esse cognoscimus. Sed e sequentibus exemplis intellegimus vim pronominis possessivi *suus* in latinitate posterioris aetatis minutam et in significationem pronominis Germanici „*sein*“ derivatam esse, quam potestatem in linguis Romanensibus[1]) et aliis servavit.

1. Primo loco exempla poetica, quae mihi praesto sunt, affero:

212, 33ᶜ sqq. = Buech. 1552 A, 33 (II. saec. p. Chr. n.)
Haec cito deficiunt et habent breve munus amoris
Momentis damnata suis, sed si quis ad omnes
Respiciat vitae casus hominemque laboret
Metiri brevitate sua, tunc credere discet.

5030ᶜ = Dessau 8455 = Buech. 141, 2
Hoc in loco suo conditum est corpus meum.

2. Saepius tituli sermone soluto facti et volgares et publici illum usum pronominis *suus* praestant:

a) Pronomen additum est ad nominativum substantivi.

647, 7ᵛ ... *nihil potius cupiens quam ut sua gauderet domus;*
pron. *suus* = *eius* exstat in:

858ᵖ = Dessau 5073 *ob honorem aedilitatis quem ei ordo suus suffragio decrevit.*

b) ad accusativum.

1339ᵖ *consulis proc(onsulis) ob honorem suum multiplicata (pecunia)*

2532 A aᵖ = 18042 = Dessau 2487 (aet. Hadr., a. fere 128) *parem curam suam exhib(et).*

c) ad dativum.

500ᵛ *qui sibi et Ianuariae uxori suae cum adviveret tumulum curavit*

642ᵛ *fecit marito suo* (finis)

---

[1]) cf. pronomen *son* sermonis francogallici.

21229v *C. Julius Niger C. Julio Nigro patri suo bene merenti monimentum feci*[1])

499v *uxor carissima marito carissimo suo posuit.*

d) ad ablativum et nudum et ex praepositione aliqua pendentem.

Dessau 690p (temp. Constantini) *restitutori invictis laboribus suis privatorum et publicae salutis.*

15497v = Dessau 5553 (a. 225) *privata (s)ua pecunia fecit*

501p (aet. Dioclet. et Maximiani) *ex liberalitati* (sic!) *sua*

2721p = Dessau 689 (aet. Constant.) *providentissimo et cum orbe suo reddita liberalitate triumphanti*

647v *mulier cum viro vixit suo ...*

e) ad genetivum.

Exempla huius casus numero frequentiora exemplis aliorum casuum mihi videntur esse:

14p *patris sui studiis populi suffragio et decreto ordinis* (= *senatus*)

32p *omnibus honoribus patriae suae functo*

754p (imp. Sept. Sev., a. 193—211) (*quod ob honorem*) *flam*(*inii*) *sui*

1282p *patroni municipii sui Vallitani*

5784v *peregri potius quam domus suae*

6965s = Dessau 3181 *ex liberalitate L. Iuli Martialis patris sui*

22046p (imp. M. Anton. Gordiano, a. 238—244) *Gordianus divi M. Antoni Gordiani nepos divi M. Antoni Gordiani sororis suae fil. pius felix*

1179p (aet. Constantini) ... *amplificatori totius orbis Romani sui ... civitatium statum atque ornatum liberalitate clementiae suae augenti*

2572p = Dessau 5786 (temp. Diocl. et Maximiani) *invictissimi ac restitutores et propagatores orbis sui Diocletianus et Maximianus.*

In quattuor exemplis publicis aut sacris genetivum plur. *suorum* et alium casum eiusdem pronominis praecedentem aut sequentem repperi:

---

[1]) *Feci* pro *fecit* margine urgente; cf. p. 15/16.

955[p] (impp. M. Aurelio et L. Vero, a. 161—169) *suo et liberorum suorum nomine*

1400[s] *D. Clodianus Torquati f. suo et Felicis Torquati Honorati liberorum suorum nomine*

1401[s] *Annius ... perpetuus suo et liberorum suorum et Anniae sororis et Iuliani fratris sui ... suo et liberorum suorum nomine.*

Sine *liberorum* substantivo ex alio quodam verborum conexu *suorumque* prave translatum videtur esse in hoc titulo:

69[p] *in fidem clientelamque suam suorumque recepit*[1]).

f) Pronomina possessiva accumulata sunt.

1224[v] *Iulius Maximus Felix avonculo suo magno pro pietate sua ... fecit*

647[v] *moribus se ornabat suis pudore solo comitabatur suo*

1502[v] *in testamento suo ab heredibus suis praestari voluit*

769[p] *ob honorem patriae suae multiplicatis summis honorariis aedilitatis suae sua liberalitate fecerunt.*

Additamentum 1 ad § 22.

Apud pronomen *suus* substantivum aliquod deest:

3000[v] *se vivo in suo sibi fecit*

3275[v] *pater filio amantissimo in suo fecit*;

in suo neglegentia quadam pro *in suo solo* scriptum esse videtur.

Additamentum 2 ad § 22.

Adiectivum *proprius* vice pronominis *suus* fungitur[2]):

969[p] (impp. Arcadio et Honorio, a. 400/401) *cum ... filio suo sumptu proprio (i)nstantia sua*;

[1]) *suorumque* deest in 68[p] = F. I.[7] 173, 1 (a. 16 a. Chr. n.) *in fidem clientelamque suam recepit.*

[2]) cf. Friebel, § 119, p. 76/77; Firmic. Mat., de err. profan. relig. (ed. Ziegler) p. 36, 18, 43, 11, 11, 60, 15, 66, 1, 67, 9, Math. (ed. Kroll-Skutsch-Ziegler) II, p. 508, sub voce *proprius.*

sumptu proprio fortasse quod praecedit *suo* et sequitur *sua*. Sed illa causa in his duobus titulis deest:

828, 10[p] = Dessau 573 *sumptu proprio cum Magniliano filio*

1298[v] *(lib)eri eius at(que) here(des) proprio sumptu (perfecerunt)*[1]).

§ 23. De pronominum personalium et possessivorum permutatione[2]).

1. Pronomen possessivum numeri pluralis pro pronomine possessivo numeri singularis[3]).

870[†] *Marcellus coniugi dignae filis filiabusque nostris*,

nostris, quod Marcellus titulum dedicans *filis filiabusque et meis et coniugis meae* in animo habebat.

2. Pronomina personalia vice pronominum possessivorum funguntur.

a) Pronomina primae personae numeri singularis.

Dativum sympathicum pron. pers. e substantivis aut adiectivis pendentem, quae propinquitatem significant[4]), habes in:

152, 1[c] = Buech. 516, 1

Urbanilla mihi coniunx verecundia plena hic sita est[5]).

b) Pronomen primae personae numeri pluralis.

2662[s, c] = Dessau 3895 = Buech. 252, 4

Plus tamen est mihi gratus honos quod fascibus annus
Is nostri datus est . . .

scribae neglegentia littera *s* omissa esse videtur; itaque Dessau conicit *nostris*.

18629[v] *heredibus communibus post mortem nostri inscribere*

---

[1]) cf. Fulg. 196 A: *proprii laboris sumptu* (Friebel, p. 76/77).

[2]) cf. Brenous, p. 103—106; Gölzer, p. 318; Kuebler, p. 172; Martin, p. 30; Roensch, p. 418: Konjetzny, § 46, p. 333 (*mei* pro *meus*).

[3]) cf. W. H. Kirk, Glotta III, p. 278: Genereller Plural im Lateinischen.

[4]) cf. Havers, p. 182 (exempla Plautina); Thes. III, 503/504 (*carus* c. dat.).

[5]) Adiectivum *carus* desideratur, ut hoc versu probabile est:
5834, 1[c] = 19189 = Buech. 635, 1 = Diehl, V. I. 136
Kara mihi con(iunx) multis solacium annis suparasti (mar)itu.

21564, 9[v] *ut ne quidem pignus commune memoriae suae solacio nostri relinqueret.*

c) Pronomen tertiae personae.

20412[†] (a. 384) *pro tempore sui.*

§ 24. Pronomina personalia et possessiva omittuntur.

In hoc exemplo infinitivum *procreasse* vice *te procreasse* acc. c. inf. constructionis fungi ex verbis *tibi constitui* manifestum est:

4372[v] = Dessau 8082a *ut bene et merito credatur procreasse filium post multum temporis intervallum . . . tumulum tibi constitui*;

Lex Manciana I, 15—18 (inter a. 116/117) *si conduc(to)res vilici(s)ve eius fundi in assem (partes colon)icas daturos* (*daturas* Seeck.) *renuntiaverint,*

daturos pro *se daturos.*

In sequenti titulo

5456[v] *D. m. s. L. Pullaenius Rogatus v. a. XXXXIX h. s. e. Licutia Sabi et marito,*

utrum *sibi* absit necne incertum est; nam *Sabi* neglegenter pro *sibi* scriptum esse potest, aut (quod minus credam) vocibus *Licutia Sabi* sensus subest *Licutia Sabi filia.*

In 3933[v] = Diehl, V. I. 1246

Novantia Procula hic situ duxit cum filios suos tres

v. d. Mommseni sententiam non assequor annotantis *situ(m) duxit* significationem verbi *deposuit* habere. Sed id mihi verisimilius videtur esse quod C. Proskauer (p. 131) conicit: „*es wird nach situ der Satz zu Ende und duxit cum = secum duxit zu fassen sein*"; in quibus verbis hic sensus esse videtur: „*Nov. P. ruht hier, sie nahm mit sich ihre 3 Söhne.*" *Situ* neglegenter igitur pro *sita* scriptum esse verisimile est.

Sponte pro *sua sponte* in duobus titulis offenditur:

14791[s] = Dessau 6808 (imp. Commodo, a. 182) *ob honorem quem ei ordo suus sponte decrevit*

5366[p] *theatro pecunia sua exornanda(e) (pat)riae s(p)onte promisso.*

§ 25. De *me, se vivo* sim. formulis[1]).

Transeo nunc a pronominibus omissis ad abl. abs. contra normas artis grammaticae fictos: ut in titulis urbis Romae ita in nostris titul. Africanis sepulcralibus semper fere pro casu quolibet *vivus* adiectivi constructiones *me, se vivo* simil. occurrunt.

Adiectivum *vivus* his in inscriptionibus indagavi:

686^v *vivus mihi posterisque meis feci*

20511^v *Iulia Victoria cum her(edibus) suis vivis titulos dedicavit,*

Plerumque autem illae constructiones *me, se vivo* simil. inveniuntur:

1. Abl. abs. *me vivo.*

870^v *me vivo memoriam coniugi dignae sed et filis filiabusque nostris feci*

3327^v = Diehl, V. I. 943 *D. m. Aelio Euticeti me vivo feci*

18605^v *me vivo feci mihi.*

2. *Se vivo* saepius invenitur.

388^v *ipse sibi se vivo posuit*

1055^v *L. Octavius . . . Octaviae . . . Optatae (et) suis se vivo*

1952^v *se vivo sibi et coniugi fecit*

2088^v = Diehl, V. I. 283 *se viva sibi suique fecit* (*suique* pro *suisque*)

4612^v *Aquila Clara uxor eius se viva ei fecit*

1922^v *se vivo fecit*

2904^v = Dessau 2315 *Iulius . . . se vivo . . . fecit*

4606^v *Q. Marius Rogatus vet. se vivo fecit et dedicavit*[2]).

---

[1]) cf. F. Ritschl, opp. philol. vol. IV, Lips. 1878, p. 7 sq.; Schmalz[4], p. 390/391, annot. 1; Roensch, p. 419; Bonnet, p. 559; Pirson, p. 185 sq.; Diehl, p. 205; Proskauer, p. 147/148; Martin, p. 26/27; M. Hoffmann, p. 133; Konjetzny, § 37, p. 323/324.

[2]) Fortuito in titulum C. I. L. X incucurri, ubi fortasse *viva* apud *se* coniciendum est: X, 7995, 13^v *Paulina uxor se (viva) et Januarius filius bene merenti fecerunt.*

3. Nonnulla exempla indagavi, ubi structura abl. abs. *se vivo* dativus *sibi* suo loco motus esse videtur.

3190^v *(Man)ilius . . . se vivo et coniugi merenti fec.*

4456^v = 18614 *se viva et marito carissimo fecit.*

18325^v *se vivo et coniugi merenti fec.*

In sequenti titulo, quamquam alter dativus non sequitur, tamen eundem dativum *sibi* atque in illis adiciendum esse opinor:

4969^v *P. Gabinius Secundianus se vivo p. v. a. LXXV* (finis).

4. Abl. abs. *se viva* pro dativo *vivae.*

18429^v *D. m. s. Iuventiae Ianuariae se viva maritu(s) eius fecit.*

5. Ingenti usu formulae *se vivo* factum est ut per hypostasin adiectivum *sevivus* formaretur, quod in titulis latinis urbanis crebrius videtur quam in nostris esse[1]):

4389^v et 17739^v *se vivi fecerunt*

17199^v *Q. Volossius Epicrates se vivos* (nom.) *statuit.*

6. Konjetznyo assentiens, qui *se vivum (fecit sibi), se vivos (fecerunt sibi)* sim. accusativos absolutos esse contendit[2]), haec exempla affero:

5066^v *Pompeius Augustalis Servilius sevibum . . . monimentum instituit.*

292^v = Diehl, V. I. 1484 *Catilius se vibum fecisse vixit annis,* ubi ob infinitivum *fecisse* acc. abs. incertus est.

7. Ex analogia abl. *se vivo* constructiones *se vivente, se valente* fiunt:

2122^v *se vivente fec(it)*

5466^v *monimentum quod aedificavit se vivente sibi M. Turcellius Maximus et Ovinia Iba uxor eius*

20387^v *se valente fecit;*

illas formulas *se vivo fecit* ortas esse quod volgus omnia quam accuratissime significare studeret Konjetzny conicit[3]).

---

1) cf. exempla apud Konjetznyum, p. 323. 2) ibid. 3) ibid.

§ 26. De *se sibi mereri* structura.

In sermone volgari quam maxime perspicuitatem petitam esse nemo nescit. Itaque in formula *suus sibi* = *proprius*, cuius exempla in titulis Africanis non inveni, pronomina accumulata sunt[1]). Similem abundantiam pronominum reflexivorum habes in:

11605ᵛ *Letor(i)us Conventalus de se sibi meritus*

11605bᵛ *Memia Rufina de se sibi merita / nsario* (?) *posuit*;

ubi ad *de se mereri* structuram — *de se mereri* ortum esse conicio adverbiis neglectis structurae *bene* vel *male mereri de aliquo* (apud Caesarem: *optime de se meritus*)[2]) — dativum commodi *sibi* additum esse opinor.

Sed illam causam pron. reflex. cumulatorum certam esse affirmare non audeo.

2. De pronominibus demonstrativis[3]).

§ 27. De pronominibus *hic idem* coniunctis[4]).

Pronomini *hic* pronomen *idem* continuatur:

4635, 7 s c = 16810 = Buech. 254, 8 (II. saec.)

Haec eadem regina deum ni cuncta pr(ofundo)
Aere consurgens fulcires sidera, Iuno.

§ 28. De pronomine *is* abundanter addito[5]).

Plebem quam maxime perspicuitatem appetere eodem modo atque *hic idem* pronominibus accumulatis (cf. § 27) pronomine *is* praeter necessitatem addito cognoscimus:

---

[1]) cf. Draeger², § 31, p. 76/77; Schmalz⁴, § 671; Friebel, § 107, p. 66; Hache, § 4, p. 19/20; Konjetzny, § 45, p. 333; Wölfflin, A. L. L. VII, p. 476; Ziemer, p. 150; Brix-Niemeyer ad Plauti Trinum. v. 156; Friedländer, ad Petroni Cenam Trimalch. 66, 2 (*habuimus . . . panem autopyrum de suo sibi*).

[2]) cf. Georges II sub voce *mereri* p. 790.

[3]) cf. Meader (1901) et Meader (1910); Draeger², §§ 37—47, p 83—87; Schmalz⁴, p. 621—623; Goelzer, p. 404—409; M. Hoffmann, § 30b, p. 115.

[4]) cf. Friebel, § 115, 1, p. 73; Loefstedt, K. P. Ae., ad 25, 11 (p. 294/295): *hoc idem*; W. Kroll, Rh. Mus. 52 (1897), p. 586: „*Hic idem* schreibt, um von Plautus abzusehen, schon Columella (XI, 3, 24), die Kaiserbiographien (Sitzungsber. d. bayr. Akademie, 1891, 577) und sehr oft Firmicus."

[5]) cf. Draeger², I, p. 83; Schmalz⁴, p. 671/672; M. Hoffmann, p. 115; Loefstedt, B., p. 94/98; Konjetzny, § 50 b, p. 334/335.

Dessau 434, 5[s] (temp. Sept. Sev. et Carac.) *statuas quas . . . policitus est . . . posuit easque dedicavit*

760[v] *Clarus Bonicianus . . . is cum summo dilectu*[1])

482[v] *Elvia Floria vixit . . . maritus eius posuit*

1401[s] *statuam quam L. Annius pater eorum . . . suo et liberorum suorum nomine promiserat*

2452[v] *Iulius Victor Amizza (pi)e vixit annis (L)XXVII heredes eius monumentum pio fratri fecerunt*

2647[s] *Minervae Augustae templum et signum numini eius . . . restituerunt*

4283[v] *nepotes eius ei fecerunt.*

§ 29. Pronomina demonstr. *articuli* vice funguntur[2]).

Pronominum demonstr. et accumulatorum et additorum exemplis nonnulla addo, ubi haec pronomina vi demonstrativa deminuta munus *articuli* linguarum Romanensium explere videntur:

1. *Hic*[3]).

352[c] = 11572 = Dessau 8433 = Buech. 1239, 4
Quem quaerit patriae maximus hic populus,
terra tegit felix . . .

2. *Iste*[4]).

646[v] *inque isto patrio opere iuvenis (nun)c ut senex perpetua quiescit requie, conditori (per)grato spiritu.*

---

1) cf. Hache, § 22, p. 38/39; Wölfflin, A. L. L. XV, 15, Claud. Quadr., fr. 7 M. *Manlius quem . . . sensit, is . . . concedebat*; Cato, agr. 157, 3: *cancer ater is olet*; Sallust, Catil. 37, 4: *sed urbana plebes ea vero praeceps errat de multis causis.*

2) cf. Schmalz[4], p. 623; Anglade, p. 80 sqq.; Bonnet, p. 258; Skutsch, F. z. l. Gr. u. M., p. 97 sq. et p. 140 sq.; Meader (1901), p. 97—112; Martin, p. 30/31.

3) Meader (1901), p. 199—205: *Hic and the Definite Article*; Roensch, p. 420—422: (in Itala saepe invenitur *hic mundus* = ὁ κόσμος).

4) cf. Konjetzny, § 51 b, p. 335; Meader (1901), p. 205—206: *'If 'hic' was seldom used as a definite article, it naturally follows that 'iste' was even more rarely so used, because 'iste' had a much stronger demonstrative force than did 'hic' and naturally came to take the place of the latter.'*

3. *Is*[1]).

684† *opes posteritati ea magna pietate relinquit.*

4. *Ipse*[2]).

12021p *cum ordo . . . de(c)revisset . . . ipsa pecunia rei publicae remissa.*

§ 30. Pronomina inter se permutantur[3]).

Praecedenti paragrapho vidimus vim pronominum aetate posteriore minutam esse.

Itaque factum est, ut iis pronominibus quorum potestas demonstrativa magis magisque in oblivionem adducebatur, graviora succederent:

1. *Idem* = *is*[4]) = Germanice *„derselbe"*.

858p = Dessau 5073 *hanc statuam . . . posuit eandemque dedicavit*

2976m *sig. leg. III. Aug. et Silius Quietus mil. leg. eiusdem*

2994, 8m *M. Valerio . . . sig. leg. III. Aug. . . . Sex Amicus Crescens op. leg. eiusd. amico merenti*;

sed *eius* habes in:

2975, 10m *fratri . . . L. Silius Rufinus sig. leg. III. Aug. et Silius quietus mil. leg. eius* (finis).

2. *Ipse* = *is, ille, idem*[5]).

The strong deictic force of ipse (Meader) occurrit in his titulis.

---

[1]) cf. Roensch, p. 423/424; Meader (1901), p. 198/199.

[2]) cf. Meader (1901), p. 208—212; Meyer-Lübke, II, 129 sq.; Loefstedt, K. P. Ae., ad 2, 3 (p. 64).

[3]) cf. Meader (1901), p. 193—197.

[4]) cf. Schmalz ^{4}, p. 622; M. Hoffmann, p. 113; Meader (1901), p. 195/196.

[5]) cf. Draeger ^{2}, I, p. 81; Schmalz ^{4}, p. 621; Riemann ^{2}, p. 113—121; Scheifler, § 22, p. 52; Meader (1901), p. 184—190, 196; Meader (1910), p. 38—41; Loefstedt, K. P. Ae., ad 2, 3 (p. 65/66); Gregor. Turon. h. F., p. 64, 3: *adiuro per ipsam virtutem, quam habeo.* Fredegar I, 125 *ipso anno* (Schmalz); Curtius (qui hoc pron. aliis antefert) 4, 3, 12: *tris (nares) ante ipsa moenia opposuerunt* (sc. *Tyrii*), *quibus rex invectus ipsas demersit* (Meader (1901), ibi al. ex.); Schuchardt, II, 382 sq.: *se lo dió* (span.) = *ipsi illud dedit.*

a) *ipse* pro *is, ille.*

5352, 6/7[†, c] = Dessau 5340 = Buech. 297, 6/7 (a. 539) *Defensio martir(um) tuet(u)r posticius ipse Clemens et Vincentius martir(es) custod(iunt) in(t)roitum ipsum*

11824[c] = Dessau 7457 = Buech. 1238, 19 (III. fere saec.) *Et dominum fecere domus et villa paratast Et nullis opibus indiget ipsa domus*

16752[v] = Diehl, V. I. 1495 *si quis posit obsecrare vinu(m) non bibere annos ... meses ... ipse posit sacerdos esse*

2557[p] = Dessau 2354 (Sept. Sev., Car., Geta impp.) *si qui obitum naturae red(diderit) ac(cipiet) her(es) ipsius c(urator) denarios D*

3611[v] *d. m. Felicius vixit meses X fecit Quincius pater ipsius*

15880, 4[v] *quod et a quib(us) . . . in parentum ipsius co(n)sola(tio)nem fieri placeret*

ibid. 11 *(p)a(r)entum ac maiorum ipsius*

18221[p] = Dessau 4311a (aet. Hadr.) *pro salute . . . Hadriani . . . legatus ipsius*

7066[p] = Dessau 1105 *quod oblatis publice parenti eius Sosio Prisco c(os.) statuis eiusdem Falconilla(e) n(umero) V ipse una recepta . . . remiserit.*

b) *Ipse* pro *idem*[1]).

Illis ex exemplis iter non longum est ad eos titulos, ubi *ipse* pron. vice *idem* pronominis fungi perspicuum est; huc referas:

8203[s] = Dessau 4136 (imp. Sev. Alexandro, a. 222—235) *fecerunt et ipsi susceperunt.*

3. *Hic* = *is*[2]).

Pronominum *hic* et *is* nonnullas formas nulla alia re nisi *h* littera vel addita vel detracta diversas inter se permutatas esse Ziegel dissertatione disseruit[3]).

---

[1]) cf. Friebel, § 114, p. 71/72; Meader (1901), p. 164—184: *'There are many passages in which it is very difficult or even impossible, to decide, whether 'ipse' stands nearer to 'idem' to 'ille' or to 'is'* (p. 185)'; Wölfflin, A. L. L. VI, 480: *„ipse = idem bei Minucius Felix 11, 7 zweimal, vielleicht infolge einer Verwechselung von αὐτός mit ὁ αὐτός . . .“*

[2]) cf. Meader (1901), p. 195. [3]) cf. imprimis p. 17, 22/23, 38, 44, 54.

Sed *hic,* ut maiorem vim demonstrativam habet ita in eis casibus, ubi *hic* et *is* dissimiles evadebant, illi praelatum esse docent hi tituli:

27[p] = Dessau 787 (a. 383—388) *Quinto fl(amini) . . . ob meritum magnifice* (sic!) *legationis quam pro voto totius provinciae executus est et (pereg)it Quintus vir laudabilis sacerdotalis: huic cupiens competentibus meritis respondere totius provinciae consilio ad(que) decreto ord(inis) n(ostr)i pos(ita) p(ecunia) p(ublica).*

153[v] *Victoria vixit an(nis) XX; huic pater et maritus eius fecerunt.*

§ 31. De pronominum formulis quibusdam immutabilibus.

Praecedenti paragrapho paulatim alia pronomina alia de suo loco movisse vidimus, itaque facile est intellectu quasdam pronominum formulas aliis crebrius usurpatas saepe iis locis adhiberi, ubi notatu dignae sunt; huc referas:

1. *Id est* post casum pluralem[1]).

21517[†] = Diehl, Chr. I. 142 (a. 329) *memoria beatissimorum martyrum idest Rogati Matenii Nassei Maximae, quem . . . dedicaverunt.*

Duchesne (Mél. de l'Ecole franç. de Rome 5, 148) conicit *-m id est* a librario corruptum esse ex *Modesti,* sed cum Diehlio (Chr. I., ann. 2 ad 142) consentio annotante *idest* saepe ante nomina propria positum esse[2]).

2. *Eo amplius* ad neutrius generis numeri pluralis vel ad feminini generis numeri singularis substantivum spectat.

811[s] *ex HS V mil. n̄. faciundum curaverunt eo amplius solo a se comparato*

---

[1]) cf. Bonnet, p. 208 et 517; Konjetzny, § 4, p. 300; Loefstedt, K. P. Ae., ad 3, 2 (p. 91/92): *id est* quasi particula facta est.

[2]) cf. Konjetzny, § 4, p. 300; Diehl, Chr. I. 155: *a presviteris titulis sanc(ti) Crisogoni, idest Petro priore, Crisogono secundo, Catelle tertio, Gaudioso quarto vel a Filippo preposito*; Meader, Zur Geschichte der Pronomina demonstrativa, A. L. L. XI, p. 369—393: *id est* — *hoc est* (p. 378—381).

2711^{p} (aet. Carac., a. 208) *praeter HS $\overline{XII}$ $\bar{n}$. honoraria summa et eo amplius*[1]).

3. *Numini eorum* attinet ad unam personam.

In titulis publicis saepius pro *numini eius* locutionem *numini eorum* legimus, fortasse ut hoc quoque modo imperatori reverentia praestetur.

Duo exempla numeri singularis investigavi:

2382^{p} *P. Cornelio Licinio Valeriano nobilissimo Caes. Aug. resp. col. Tham(u)g. numini maiestatiq(ue) eius devota* (finis)

2383^{p} *P. Cornelio V(aleri)ano nobilissimo Caesari Aug. respub. coloniae Thamugad. numini maiestatique eius devota* (finis).

Saepius autem occurrit num. pluralis, quorum titulorum primo nonnullos afferam, qui deis certis dedicati praeter nomen imperatoris initio dei quoque nomen praebent, ut hanc ob causam numerus plur. numerum sing. de suo loco movisse videri possit.

2345^{s} = Dessau 633 (imp. Galerio, a. 305—312) *Genio virtutum Marti Augusti conservatori (Galer.) Va(leri Maximiani) nobilissimi et fortissimi Caes. Valerius Florus . . . numini maiestatique eorum dicatissimus posuit*

2346^{s} (aet. Diocl.) *(Her)culi Aug. conservatori d. n. imp. M. Aureli, Valeri M(a)x(imia)ni inv(icti ac sem)per felicis Aug. Valerius Florus . . . numini maiestatique eorum dicatissimus posuit*

2347^{s} (aet. Diocl.) *I. O. M. conservatori d. n. imp. C. Val. Diocleti(ani invi)cti (e)t semper fel. Aug. Valerius Florus . . . numini maiestatique eorum dicatissimus posuit.*

Sed illorum verborum conexum immobilem factum esse his inscriptionibus, ubi deorum nomina desideramus, probatur:

4226^{p} (imp. Constantino II., a. 317—337) *Perpetuo ac fortissimo Caesari Flavio Constantino iuniori ordo municipii Verecundensium devotus numini maiestatiq. eorum* (finis)

---

[1]) cf. Thes. I, 2016, 68—76 (*eo amplius*): C. I. L. XI, 6173, 8^{v} *et in tutelam eius HS $\overline{XX}$ $\bar{n}$ . . . reliquit eo amplius eidem r. p. . . .,* — XII, 2522^{v} *horologium . . . ex HS $\bar{n}$ X et eo amplius,* XIII, 5056, 10^{v} *ex HS $\bar{n}$ $\overline{IIII}$ . . . Domitius Magnus heres ponend. curavit et eo amplius de suo adiecit HS $\bar{n}$ CCCC.*

7002[p] = Dessau 607 (imp. M. Aur. Carino, a. 283/84) *Imp. Caes. M. Aurelio Karino invicto pio . . . M. Aurelius Decimus . . . devot. numini maiestatiq(ue) eorum* (finis)

11804[p] = Dessau 6787 (aet. Const., a. 316—318) *D. n. Flavio Valerio Constantino nob. Caes. numini maiestatique eorum col. Aelia Aurelia Aug. Mact. d. d. p. p.*

2380[p] (imp. Valeriano, a. 253—260) *(imp.) Cae(s). (p. Licinio Valeri)ano I(nvi)cto pio felici Aug. . . . resp. col. Thamug. devota numini maiestatiq. eorum* (finis)

2381[p] (imp. Valeriano, a. 253—260) *Imp. Caes. P. Licinio Gallieno invicto pio felici Aug. . . . resp. col. Thamug. dev(ota) numini maiestatiq. eorum* (finis)

4. *Idem, item* formae immobiles sunt[1]).

a) *Idem* pro *eadem.*

1001[v] *Roscia Lochagia coniunx idem heres . . . fecit*

1039[v] *(monumentum h)oc Caesti M. filiae I(ngenuae) quae idem*[2]) *hic sita est.*

b) *Item* pro pronominis formis.

α) *Item = idem,* quae formae una littera differunt:

703[v] *s(ua) p(ecunia) f(ecit) itequ. dedicavit*

818[v] *restituit itemque de(dicavit)*

1406[p] = Dessau 6795 (aet. Sev. Alexandri, a. 222—235) *macellum vetusta(te) collapsum municipium re(fec)it itemque dedicavit*

5884[s] = Dessau 3906 *C. Arruntius Faustus . . . fecit itemque dedicavit*[3]).

β) Cum *item* adverbii forma immutabilis sit, habes: *item = eadem.*

Merlin et Poinssot 19[p] *res publica . . . fecit it(e)mq. dedicavit*

---

[1]) cf. M. Hoffmann, p. 113; Konjetzny, § 12, p. 306/307.

[2]) de pronomine demonstr. ad pronomen relat. addito cf. infra § 34, p. 58/59.

[3]) sed. cf. ex. gr. 714[v] *(ipse) statuam fili sui posuit idemque dedicavit.*

21[p] (imp. Commodo, a. 180—192) *res pub. . . . sua pec. fec. itemq. dedicavit.*

γ) *Item* = abl. *eādem*

2369[p] et 2370[p] (imp. Carac., a. 214) *Iulia Aug. Pia Felice matre Aug. et castror. item (se)natus et patriae.*

Additamentum ad § 31.

Eius = *uxor eius.*

Ut genetivus apud nomen proprium aliquem vel aliquid in alicuius possessione aut potestate esse significare solet[1]), ita *eius* genetivo apud nomen feminae in titulis sepulcralibus sensus *uxor eius* subest:

4193[s] *Sempronia Paulina eius*

4249[v] = Dessau 6852a *Cn. Baebio . . . et Severae Inge(nui) (Se)veri filiae eius* (Dessau: sc. *uxori*), *parenti(bus) fili*

5467[v] *Valeria Annia Restituta eius pia v. a.*

9122[v] *Valeria Dativa eius fecit*

18893 A, 4 et D, 4[s] *pro salute . . . et Noviae Crispinae eius.*

§ 32. Formae *is* pronominis omissae sunt.

Restat, ut duas inscriptiones afferam, ubi auctorem metri gratia pronomen *is* non addidisse apparet:

212, 66[c] = Buech. 1552 A, 66 (II. saec. p. C. n.)
Set puto securos fieri quicumque parare
Aeternam voluere domum
(*securos fieri* = *eos securos fieri*[2]))

ibid. v. 76
iam nunc quodcumqu(e) relinques
Totum pervenit tua quo volet ire voluntas
(sensus subest *tua quo volet id ire voluntas*[3]))

5370, 3[c] = Buech. 112, 3
Istudiisque misit et honores tribuit
(omittitur *iis* [*honores tribuit*]).

---

[1]) cf. Schmalz[4], p. 361; Brenous, p. 106.

[2]) cf. Draeger[2], II, 307/308. [3]) ibid. 297.

Additamentum ad II, 2.

De *hic* et *hac* adverbiis.

Adverbium *hic* accusativi *hunc* vice fungitur in

1066 v *M. Silius Maximus uxori suae carissimae hic tumulum fecit.*

Hic loci [1]) locutionis simile *hic patriae* est, ut Wilmanns opinatur, in

2885 c = Dessau 8167 = Buech. 800, 4

Hic situs est patriae;

sed in 4799 p (aet. Iustiniani)

bis praefect(*o*) *praet*(*o*)*ri*(*o*)*rum Africae hac patrici*(*o*) *fa-*(*bric*)*atum est b*(*ur*)*g*(*um*)

hac non adverbium neque cum *Africae* substantivo coniungendum est, immo *hac* est *ac* littera *h* spuria affectum [2]).

3. § 33. De pronominibus reflexivo et determinativo *se, suus is* inter se permutatis [3]).

Restat, ut eos titulos afferam in quibus propter sermonis volgaris neglegentiam pronomina reflexiva pronominum determinat. vice funguntur.

1. *Se, sibi* pro pronominis *is* casibus [4]).

20684 v *Horatius Marcianus amico indul*(*g*)*entis*(*sim*)*o ob be-*(*nefi*)*cia,* (*qu*)*ae in se cont*(*ul*)*it, p. dedicavitque*

Cagnat, A. E. 1903, 241 p (imp. Valent., Val., Grat., a. 364—383)

pro consulatu Pauli Constanti . . . et Paulini . . . et legati almae Karthag(*inis res p. . . .*) *cum locis omnibus ad se* [5]) *pertinentibus*

---

[1]) cf. Georges, I, 2821; Forcellini-De-Vit, III, 291; Kühner [2], Bd. II, 1 (Stegmann), p. 434/435.

[2]) cf. Loefstedt, K. P. Ae, ad 3, 2 (p. 85); Birt (imprimis), p. 156, 209, 250/251: *hac* pro *ac*, ex. gr.: C. I. L. III, 5839, 12 v; X, 7995, 1 v; IX, 5961, 3 p; III, 754 c = Buech. 492, 14.

[3]) cf. Draeger [2], I, p. 67 et 75 sq.; Schmalz [4], p. 617—619; Pirson, p. 202—206; Anglade, p. 83; Bonnet, p. 694 sqq.; Goelzer, p. 403 sq.; M. Hoffmann, p. 113 sq.; Konjetzny, § 44, p. 332/333.

[4]) cf. Friebel, § 106, p. 65/66.

[5]) cf. Fulg. 833 A *si deus non esset angeli ad se prospiciendum non concupiscerent.*

412, 3[c] = Buech. 559, 3
v. 1. *Manib(us) hic (pl)acidis Pas(sie)na casta quiescit*
v. 3. *Hoc sibi costituunt patres fratresque sepulcrum*

1224[v] *Iulius Maximus Felix avonculo suo magno pro pietate sua dato sibi ab ordine loco s. p. fecit.*

858[p] = Dessau 5073 *numerata prius a se rei publicae summa honoraria posuit*

14296[p] *adiecta am(plius a) se pecunia fecit*

811[v] *eo amplius a se comparato*

2354[s] *adiecta a se HS $\overline{III}$ ponend. curaver. idemque dedicaver.*

10609[p] (aet. Valentin., 364—75, a. 366/67) *procons(ulatu) Festi v(iri) c(larissimi) secum Antonio Dracontio v(iro) c(larissimo) ag(ente) v(ices) p(raefectoram) p(raetorio).*

2. Pronomen possessivum *suus* pro *eius* et *eorum* genetivis.

Pronomen *suus* paulatim vi reflexiva amissa imprimis potestate possessiva affectum esse supra vidimus[1]), quo fit, ut saepe vice pronominis *eius* fungatur.

9619[v] *Aemilius Celsus vixit . . . Iulia Honorata mulier sua . . . fec.*

2711[p] (aet. Carac., a. 208) *et datis sportulis condecurionibus suis*

1219[p] (a. 275—278) *(dedicante) . . . Rufino (viro clariss)imo legato suo*

2982[v] *C. Terentio Successo tutore suo*

608[p] = Dessau 637 (aet. Diocl., a. 294—305) *porticum cum arcu suo*

1842[s] *statuam Mercuri cum suis ornamentis*

6965[s] = Dessau 3181 *L. Iulius . . . simulacrum aereum Veneris cum aede sua et Cupidinibus . . . dedit*

11332[p] = Dessau 6836 *curiae universae . . . pro meritis suis . . . signaverunt*

Cagnat, A. E. 1903, 96[†] (a. 581 vel 582) *posit(a)e sunt memori(a)e s(a)nc(t)i Iuliani et Laurenti(i) cum sociis suis*;

in hoc quoque titulo

---

[1]) cf. supra § 22, p. 40—43.

3165[v] *C. Iulio Severo . . . Flavia Fortu. cum filis et heredibus suis,*

filis et heredibus substantiva ad mortuum, C. Iul. Severum, non ad dedicantem Flaviam pertinere verisimile est, itaque *suis* pro *eius.*

3. Pronomen *is* pro pronomine possessivo[1]).

Multo rarius in latinitate posterioris aetatis *is* pronomen vicem pronominis reflexivi praestare videtur, cuius rei haec pauca exempla inscriptionum Africanarum inveni:

Cagnat, A. E. 1908, 161[p] *Saturno Aug. sacrum, L. Pompeius Arn. Honoratus cisternum sua pecunia ob munificentia(m) eius fecit*

76[p] (imp. Commodo, a. 183) *L. Antonius . . . super legitima . . . honoris sui et . . . patris eius.*

4. De *qui, quis, aliquis, quisque* pronominibus relativis, interrogativis indefinitis[2]).

§ 34. De pronominibus relativis cum pronominibus demonstrativis coniunctis[3]).

Sive pronominis relativi vis minuta est sive in volgari sermone omnia quam accuratissime significata sunt: nonnullos titulos habes ubi ad pronomen relativ. pronomina demonstrat. *idem* vel *iste* addita videmus:

1039[v] (*monumentum h*)*oc Caesetiae M. f. I*(*ngenuae*) *quae idem*[4]) *hic sita est*[5]).

Notabilius hoc exemplo, ubi pronomen *idem* pronomini relativo continuatur, sequens mihi videtur esse, quod inter *qui* et demonstrativum *iste* nonnulla verba intercedunt:

---

[1]) cf. Friebel, § 105, p. 65, ibid. habes: C. I. L. XIII, 1896[v] *vivi sibi posuerunt et Ursae filiae eorum dulcissimae*; C. I. L. VI, 36364, 2 sqq. *Statilia Euhodia viva fec. sibi et Statilio . . . coniugi item Statiliae filiae eorum.*

[2]) cf. Draeger[2], I, p. 87—104; Schmalz[4], p. 623—627.

[3]) cf. Draeger[2], I, p. 104; Schmalz[4], p. 684.

[4]) de *idem* forma immobili cf. § 31, 4 a, supra p. 54.

[5]) cf. Cic., ad fam. 2, 51: *quas easdem paucas habent;* Verr. 4, 48: *Liberam, quam eandem Proserpinam vocant.*

15719, 4 = Buech. 623, 1
Et iacet hic talis qui numquam fraudibus iste
Laetatus post magnos actus pauperes reliquit liberos[1]).

§ 35. De pronominis relativi immobili nominativo[2]).

Supra de iis exemplis egi, ubi ad pronomen relativum aliud pronomen additum esse vidimus, nunc ei tituli afferendi sunt, in quibus pron. relat. cum alio pronomine non coniunctum est, sed forma *qui* initio enuntiati relativi sola exstans ad verbum generis feminini pertinet, quo usu latinitatis posterioris factum est, ut formis generis feminini et neutrius neglectis in lingua francogallica una forma *qui* servaretur. Huc referas:

9804† (a. 418) *mimorie* (sic!) *Evaisse qui vixit*

9862ᵛ (a. 302) *Fuscia Aemilia qui vixit an.*

9983ᵛ *d. m. s. Valeria Iulia karissima qui vixit annos . . .*
Tannoni . . . dolenter titulum posuerunt,

idem in titulis 9752 a† (a. 450); 20048ᵛ; 20643ᵛ (a. 444); 20644ᵛ (a. 467); 21637ᵛ (a. 410); 21638ᵛ (a. 395); 21645ᵛ (a. 352).

§ 36. De *qui et, quae et* formula[3]).

Non minus notabiles ei tituli sunt, ubi enuntiati relativi verbum *vocatur* neglegi[4]) itaque *qui et, quae et* formulam ortam esse perspicuum est.

---

[1]) Skutsch, vir doctissimus, me admonuit de: Arnobio, adv. nat., p. 144, 24 (edit. Reifferscheid): *quod quanam istud ratione dicatur*; ibid. p. 145, 10: *quae tamen haec ipsa, quae laeva appellamus et dextera*; Loefstedt, B., p. 94—98, ex. gr. Apul., metam. IX, 16 . . . *quem . . . istum sortita es, qui.*

[2]) cf. Bonnet, p. 117, 390, 509 sqq.; Carnoy, VI, p. 353; Konjetzny, § 11, p. 306; Kuebler, p. 173; Pirson, p. 158 sqq.; Roensch, p. 276.

[3]) cf. Foerster, p. 170 sqq.; *qui et* (immobilis formula) = *cognominatus* (p. 173/174 F.); Bonnet, p. 302; Konjetzny, § 18, p. 310/311; Loefstedt, K. P. Ae., ad 13, 4 (p. 227—229); Roensch, p. 443. De *signi* vel *supernominis* usu cf. Thieling, p. 78 sqq. et M. Lambertz, Glotta IV, 1, p. 77—143, imprimis p. 98—114 (de supernom. Africanis).

[4]) Illud verbum *vocare* additum habes in hoc exemplo:
1679ᵛ *Avatia Victoria qui et Monna vocita(ta) e(st).*

1 *Qui et* formulam sequitur casus nominativus.

a) *Qui et* spectat ad nomen viri.

4108v *Valerius Saturninus qui et Sinsicus*
7636v *L. Petronius Festus qui et Zabulius*
2170v = Dessau 8499 *L. Aemilius Severinus qui et Phillyrio v. a. LXVI Victoricus qui et Verota* (finis);
Audollent, D. T., n. 276, 3v: *Supestianu russei qui et Naucelliu cadat vertat*;
neglegentia ortum esse videtur:
10382v *Caesennio Alexandro que* (= *qui*) *et Nat.*;
et quoque omissum est in:
6552p *Q. Octavius L. f(il). qui Similis*
7638v *P. Petronius L. f. qui Restitutus*
7639v *L. f. qui Pi . . . culus*;
idem in 9878v (a. 390) et 9890v (a. 327)
aliis titulis[1]).

b) *Qui et* vel *quae et* spectat ad nomen feminae.

163v *(I)ul(ia) Galli qui et Meduria*
347v *Calpurnia Victoria qui et Taeda*;
idem in tll. 4384v; 4406v; 5721v; 8609v; 18366v;
qui sine *et* in:
7093v *Baebia F. f. qui Casta sacerdos*;
sed recte legitur:
1709v *Felicitas quae et Ururia pia vixit*
2937v *Valeria Concessa quae et Sassa*;
idem in tll. 1744v; 5061v.

2. Formulas *qui et, quae et* immobiles sequitur alterius cognominis casus non nominativus sed obliquus cum casu cognominis prioris congruens.
8640† *memoria innocentium Istiablici qui et Donati*
14513 *Opstori(o Ma)ximia(no) qui et Generoso*

---

[1]) Ex analogia formulae *qui et* ortum esse puto *idem et* quod indagavi in 18410v *Iulius Ianuarius idem et Coldeus vixit.*

20301† = Diehl, Chr. I. 85 (inter annos 349 et 436) *Dativais qui et Saguntinais*

3770v *d. m. Iuliae Fortunatae quae et Pusinnae*

9378v = 21035 (a. 262) *Graniae Marcellinae quae et Crementiae.*

Additamentum ad § 36.

Qui est cum dativo.

In tl. 2309† = 17752 *i(n) n(omine) patri(s) domini dei qui est sermoni*[1]),

Wilmanns annotat: *sermoni* = *sermo* = λόγος[2]), Skutsch melius *s* finali neglecta *sermoni* conicit *sermonis* esse.

§ 37. De *quem, quam, quod* accusativis confusis[3]).

Num formis pronominis relativi diversis sine certa regula aetate posteriore usurpatis genera inter se permutata sint diiudicare non audeam, sed habes:

21517, 5† (a. 329)[4]) *memoria beatissimorum martyrum id est Rogati Matenii ... quem dedicaverunt*

18214s = Dessau 6847 *ob honorem flaminat. perpet. quod in se absentem contuler.*,

sed in 18241s recte *ob honorem ... quem*;

21534v *memoria ... quod matrona fecit.*

§ 38. De casibus confusis[5]).

Hoc loco mihi afferendum est exemplum

18328, 16p = Dessau 5520 (a. 379—383) *curia ... qua nunc ex novo opere in eodem solo egregiae cognoscitur*,

---

[1]) cf. Joh. I, 1: καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος.

[2]) Diehl, p. 223: *sermoni* = *sermonem*, acc. pro nominativo.

[3]) cf. Loefstedt, K. P. Ae., ad 4, 2 (p. 131—133).

[4]) Loefstedt (ibid.) exemplum antiquissimum inscriptionis metricae Aquileiensis anni 336 invenit (Maionica, Wiener Studien, 1902, 586 sq.):
O prava Genesis, primum qui tulisti maritum
Nihil pulchrius fuerat, quam coniuge in ante misisset,
Iuncta quem possedit XXXV vel amplius annos,
Ut lacrimae minimae per genitoris vita fuissent.

[5]) cf. Schuchard, III, p. 150; Ziemer, p. 86—89 (die reale Ausgleichung).

ubi Schmidt editor annotat: 'requiri videtur *quae, egregiae* est *egregie.*' Ego contra conicio sententiam ab ablativo relativi incohatam per comparativum aliquem continuare auctorem voluisse, deinde propositi oblitum esse, ut iam ablativus comparativus nihil habeat quo referatur.

§ 39. De pronominis *quis quid* usu[1]).

1. *Quis* relativi vice fungitur.

Et in prisca latinitate et in sermone posterioris aetatis pronominum *qui, quis* formae relativae et interrogativae certa regula non discernuntur[2]), quapropter in nostris titulis pro linguae Graecae ὅτι, εἴτι habes:

21562, 9[c] = Buech. 520, 7
Et quid n(on m)ulti poterant iuvene(s) hic semper (solus a)gebat.

2. Pronomina interrogativa accumulata sunt[3]).

Usus pronominis interrogativi alterius excipientis alterum, qui in sermone Graecorum saepe invenitur[4]), in hoc titulo occurrit:

2728, 46[s] = Dessau 5795 (a. 152 vel postea) *ut scirent quis quem modum suum perforationis haberent.*

---

[1]) cf. Draeger[2], § 52, p. 103/104; Prehn, p. 16—25; Scheifler, § 24, p. 54.

[2]) cf. Skutsch, Glotta I, p. 303—322; Kroll, Glotta III, p. 1—18; Loefstedt, B., p. 56 sqq.; Gaffiot (*quis*) *quid*, p. 49—77, affert exempla latinitatis antiquissimae et Ciceronianae; XII Abb. I, 4: *proletario iam civi quis volet vindex esto*; II, 2: *quid horum fuit eo die diffissus esto*; Seneca, Apocol., 9, 5: *censeo, ut divus Claudius ex hac die deus sit, ita uti ante eum quis optimo iure factus sit* (Buech. *qui*); Petron. 50, 7: *ignoscetes mihi, quid dixero: ego malo mihi vitrea, certe non olunt* (Buech. et Friedl. *quod*, Heraeus *quid*); Amm. Marcell. XIV, 11, 11: *quid per imprudentiam gestum est.*

[3]) cf. Loefstedt, K. P. Ae., ad 20, 7 (p. 272/273); Ziemer, p. 151; Cic., Rosc. Com. 7, 21: *considera quis quem fraudasse dicatur* (Ziemer).

[4]) cf. Kühner-Gerth, Ausführl. Gramm. d. griech. Sprache, 3. Aufl., II, 2, 1904, p. 521/522; Wackernagel, Id. F., I, p. 333 sqq.

§ 40. De usu pronominis *aliquis*[1]).

1. *Aliquis* pronomen *quis* de suo loco movet.

Grammaticis latinis docentibus *si, nisi, ne, num* etc. verba cum *quis* pronomine coniungenda esse inter alia exempla hic titulus obstat:

14683b, 7/8p = Dessau 6824 *si q(u)aestor alicui non n(u)ntiaverit . . . si a(liquis) de ordine decess(erit),*

quod exemplum nos de linguis Romanensibus admonet, ubi *si quis* investigari non potest[2]).

2. *Aliqui = nonnulli*[3]).

Exemplum pronominis *aliquis* numeralis *nonnulli* vice fungentis habes:

2728, 82s = Dessau 5795 *uti mensibus aliquīs rei agendae immorarentur.*

§ 41. De pronominis *quisque* usu[4]).

1. *Quisque* pronomen ad numeralia et pronomina se applicat.

Pronomen *quisque* originis suae causa semper fere cum aliis pronominibus, superlativis, numeralibus coniunctum videtur.

a) *Quisque* numerali *singuli* continuatur[5]).

1179p (imp. Constantini, a. 323—336) *amplificatori totius orbis Romani sui ac singularum quarumque civitatum statum atque ornatum . . . augenti.*

---

1) cf. Draeger², § 46, p. 89—95; Schmalz⁴, p. 625; Prehn, p. 26/27; Riemann², p. 128—130; Thes. I, sub voce *aliquis*; Plaut., Bacch. 556:
. . . si non fecero
Ei male aliquo pacto, me esse dicito ignavissimum (Prehn).

2) cf. Meyer-Lübke, III, 97, IV, § 86: *„Bekanntlich sagt man im Lateinischen 'siquis' „wenn jemand" u. dgl., doch scheint das Romanische keine direkten Spuren davon zu besitzen."*

3) cf. Thes. I, 1608, 33—54.

4) cf. Draeger², § 51, p. 101—103; Schmalz⁴, p. 621—627; Goelzer, p. 409—411; M. Hoffmann, § 30 d, p. 115/116; Konjetzny, § 47, p. 333; Pennigsdorf, p. 13–23; Prehn, p. 9—13; Riemann², p. 140; Scheifler, § 25, p. 54.

5) cf Draeger², I, p. 102; Schmalz⁴, p. 627; Pennigsdorf, p. 18.

b) *Quisque* ad pronomen possessivum applicatur[1]).

Formulam *suusquisque* quasi unum verbum factum esse hoc exemplo intellegitur:

270, 17p = 11451 (a. 138) = F. I.7 61 *sui cuiusq(ue) mensis*[2])

6357p = Dessau 6868 = F. I.7 141, 19 *Nundinae (habe)ntur ... suo quoque mense ex permissu M. Aureli Comini Cassiani le(gati).*

2. *Quisque* = *quisquis*[3]).

Pronomen indefinitum *quisque* vim pronominum relativorum generalium *quicumque*, *quisquis* habuisse, imprimis in sermone volgari, v. d. Skutsch probavit[4]).

Qui usus pronominis *quisque* in nonnullis titulis Africanis occurrit:

a) Metro *quisque* aptum est.

Quisque pronomen, cum initio alterum sententiae locum obtineat, postea, quod sensum pronominis *quisquis* accepit, primo quoque loco exstat[5]):

14352c = Buech. 528, 1

Quísquĕ vĭam carpis, Marcum spe(ctes memorandum)[6])

---

1) cf. Draeger2, p. 77—79 et 102; Schmalz4, p. 627; Pennigsdorf, p. 19—21.

2) cf. Buecheler, Rh. Mus. 38, 515 sq.: in elegis IX (XI) Messalae: *munere quoque suo*; C. I. L. V, 4682: *servis ancillis suo quoque nomine*; Lachmann, Lucr. II, 371/372:

Postremo quodvis frumentum non tamen omne
Quique suo genere inter se simile esse videbis;

Madvig, Cic., de fin. V, 46: *sed quia cuiusque partis naturae et in corpore et in animo sua quaeque* (pro *cuiusque*) *vis sit*; Ex Madvigi exemplis cf. Tac., ann. XIV, 27: *universae legiones deducebantur cum tribunis et sui cuiusque ordinis militibus*; Loefstedt, K. P. Ae., ad 47, 1 (p. 37 annot.): C. I. L. X, 444: *curantibus sui cuiusque anni magistris.*

3) cf. Bonnet, p. 303; Petschenig, A. L. L. VI, 268; Proskauer, p. 148—151; Roensch, p. 336; Wölfflin, A. L. L. VII, 476 (Minucius Felix, Beitrag z. Kenntnis d. afr. Lat.).

4) cf. J. f. kl. Ph., S.-Bd. XXVII, 84—93; Firmic. Mat., Math. (ed. Kroll-Skutsch) I, p. 80, 5, 217, 10, 233, 3 (*quique*), 13.

5) cf. Wackernagel, p. 416.

6) cf. Plaut., Asin. 404:

Quisque obviam huic accesserit irato, vapulavit (Prehn, p. 12, ibid. al. ex.).

1027, 7[c] = Dessau 1710 = Buech. 484, 7

Quisquĕ săpis iuvenis, vivo tibi pone sepulchrum

Monceaux, R. A., Bd. 7 (1906), n. 178 (p. 278) = De Rossi, Inscript. christ., t. II, p. 461:

Quisquĕ grăvas lacrimis Hilarini flebile marmor.

b) Exemplum sermonis soluti habes:

in Lege Manciana I 23 (int. a. 116 et 117) *partes fructum et vinea(ru)m ex consuetudine (legis) Manciane cuiusque generis habet*[1]) *praestare debebunt*[2]).

5. § 42. De pronominis indefiniti *uterque* usu[3]).

1. Sermoni volgari tribuendum est, quod casus pluralis *utrique* duas personas significans pro singulari casu *uterque* usurpatur.

a) *Utrique* cum *nos* coniunctum.

1523 = 15539 = Buech. 1237 (II. vel III. medio saeculo)

L. Iulius Felix Cupitanus Mallitus hoc mesolaeum mihi et Viriae Rogatae uxori utrisque nobis vivis . . . institui.

b) *Utrique* sine pronomine personali.

18560[v] *utrisque vivis fecit*[4]).

2. Coniunctio genetivi singularis pronominis *uterque* cum pronomine possessivo notatu digna mihi videtur esse, quae occurrit in:

2005[c] = Buech. 1615, 4—6

. . . d(i)gna coniunx (t)e
adoro. memo(ria tu)a
utriusq(ue) nostra.

---

[1]) Seeck omittit *habet.*

[2]) cf. C. I. L. IV 1937 *quisque me ad cenam vocarit valeat*; C. I. L. XIV 1736 *Quisque heres meus corpus meum in hoc sacrophago non adiecerit* (Schulten, ad locum supra allatum).

[3]) cf. Schmalz[4], p. 627; Friebel, § 116, p. 73/74; M. Hoffmann, § 30 d, p. 115/116; Konjetzny, § 48, p. 333/334; Riemann[2], p. 143/144; Firm. Mat., Math. (ed. Kroll-Skutsch) I, 191, 21; de err. profan. relig. (ed. Ziegler), p. 82, 19.

[4]) cf. exemplum simile C. I. L. VI, 3279, 8 *utrisque posuit* (Konjetzny).

6. § 43. De adiectivi pronominalis *quantus* usu[1]).

Exemplum pronominalis adiectivi *quanti* inde a Propertio poeta[2]) vice *quot* adiectivi fungentis habes:

218[c] = Buech. A, 1.

Tu ni sc(i)s quantis vita(m d)eduxerit annis[3]).

---

[1]) cf. Draeger[2], § 53, p. 104; Schmalz[4], p. 629; Friebel, § 117, p. 74/75; Goelzer, p. 413—415; M. Hoffmann, § 30 d, p. 115/116; Hoppe, p. 106; Loefstedt, K. P. Ae., ad 5, 8 (p. 147—149); Scheifler, § 25, p. 54; Zink, p. 46.

[2]) Prop. I, 5, 10: *At tibi curarum milia quanta dabit.*

[3]) Stat., Silv. IV, 3, 49: *O quantae pariter manus laborant;* Tert., de an., cap. 46: *quanti commentatores*; Firm. Mat., Math. (ed. Kroll-Skutsch-Ziegler) I, 51, 17; II, 225, 8, 11, 243, 23 (*quanticumque*).

Vita.

Natus sum Lotharius Friese die XI mensis Aug. anni 1887 Lubani, in oppido Lusatiae, parentibus Eduard et Anna e gente Metzke, quos adhuc superstites esse gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Postquam primis litterarum elementis in schola publica sum imbutus, parentes gymnasio regio Lubanensi anno 1898 me mandaverunt. Cum benevolentissimis per novem annos usus praeceptoribus maturitatis testimonium accepissem, vere anni 1907 Gottingam migravi, ubi per ter senos menses operam dabam studiis philologicis et historicis. Autumno anni sequentis adii almam matrem Berolinensem, vere anni 1909 universitatem litterarum Vratislaviensem, ubi studiis philologicis et historicis incubui.

Docuerunt me hi viri doctissimi:

Gottingenses: *Baumann, Bousset, Brandi, Busolt, Dittmann, Husserl, M. Lehmann, Leo, W. Meyer, G. E. Müller, Pohlenz, Schoen, Schröder, E. Schwartz, Stein, Titius, Viertel †.*

Berolinenses: *Diels, Imelmann, Lasson, Mewaldt, E. Meyer, E. Norden, D. Schäfer, Max C. P. Schmidt, R. Schmitt, Wagner, de Wilamowitz-Moellendorff.*

Vratislavienses: *Baumgartner, Cichorius, v. Dobschütz, Foerster, Gercke, Hoennicke, Kaufmann, Kautzsch, Klaatsch, Kühnemann, Lenz, Preuß, Sachs, Schrader, Skutsch †, Stern, Supan, de Wenckstern, Wobbermin, Ziegler.*

Sexto Semestri mihi contigit, ut in seminarium philologicum Vratislaviense reciperer, cuius ex exercitationibus a viris clarissimis *Foerster, Gercke, Skutsch †* institutis sodalis

ordinarius per duo semestria magnam cepi utilitatem. Ad exercitationes proseminarii philologici benigne me admiserunt *E. Norden, Pohlenz, Skutsch †,* archaeologici *Foerster,* proseminarii et seminarii historici *Busolt, Cichorius, Kaufmann, Preuß, R. Schmitt, Stein,* seminarii philosophici *Baumgartner, Stern,* ad exercitationes palaeographicas *W. Meyer,* grammaticas *Schrader,* ad societatem Graecam *Gercke.*

Quibus viris omnibus gratias ago vel maximas, imprimis *Skutschio †,* qui me ad huius libelli argumentum convertit et semper mihi in opere conficiendo adfuit; neque umquam me eius memoriae obliturum esse voveo et spondeo.

Denique professori clarissimo *Ziegler* magnam gratiam debeo, qui post *Skutschii* mortem non modo in plagulis corrigendis operam suam collocavit, sed etiam consiliis me adiuvit benignissime.

Theses.

I. Aesch. Suppl. v. 249 post v. 245 transponendum esse censeo (cf. Arturi Sidgwick editionem).

II. Aesch. Pers. 163 recte sic scripsisse puto Skutschium:

μὴ μέγας πότμος κονίσας οὖδας ἀντρέψῃ ποδί.

III. Coniunctiones servandas esse contendo in versuum finibus:

Ter., Andr. 560.

Uxorem demus. spero consuetudine et
Coniugio liberali devinctum Chremes
Dein facile ex illis sese emersurum malis.

Ter., Ad. 38.

... vah, quem quamne hominem in animo
instituere aut
Parare, quod sit carius quam ipse est sibi!

Ter., Ad. 375.

... est hercle inepta, ne dicam dolo, atque
Absurda.

IV. In C. I. L. X, 7995, 13ᵛ

Paulina uxor se et Januarius filius bene merenti fecerunt, scribam neglegenter '(se) viva' abl. omisisse conicio.

Vratislaviae, typis R. Nischkowsky.